FR. DANIELIS CONCINAE

ORDINIS PRAEDICATORUM

DE SACRAMENTALI ABSOLUTIONE IMPERTIENDA, AUT DIFFERENDA

Recidivis Conſuetudinariis

DISSERTATIO THEOLOGICA

AD EMINENTISSIMUM PRINCIPEM

NERIUM

CARDIN. CORSINIUM

EJUSDEM ORDINIS

PATRONUM VIGILANTISSIMUM.

ROMAE MDCCLV.

APUD HAEREDES JO: LAURENTII BARBIELLINI

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIME PRINCEPS

QUAE me multis ab hinc annis, Em̃e PRINCEPS, graviſſima rationum momenta impulerunt, ut hiſtoriam Probabiliſmi tuo praeſtantiſſimo Nomini inſcriptam, publicam in

Digitized by Google

lucem emitterem ; illa ipſa nunc validius me urgent, ut Diſſertationem hanc, quae ejuſdem Probabiliſſimi in adminiſtrando Poenitentiae Sacramento paradoxa valde abſona refellit, tibi obſequenti animo dedicem, atque conſecrem. Scilicet patrocinium univerſi Ordinis noſtri, quod pro ſingulari humanitate tua ſuſceptum ſumma cum laude exerces: & innumera munificentiae tuae beneficia, quibus cumulare integram Familiam noſtram non ceſſas, noſque omnes tibi magis magiſque ſemper obſtringis.

Verum

Digitized by Google

Verum ego prae ceteris uberrimos beneficentiae tuae fructus ſuſcepi, etiam tum, cum Tibi adhuc eram ignotus. Quando poſtea, ſorte obſecundante, ſubire conſpectum tuum contigit, illico celebratam ab aliis ſingularem affabilitatem, comitatemque tuam expertus ſum, ac experior longe magis, quam auſus fuiſſem optare. Tum ſuſpexi animi tui candorem, morum integritatem, rerum gerendarum maturam prudentiam, in explendis muneribus tuis exactiſſimam vigilantiam, proclivitatem ad ſuppetias inferioribus feren-

Digitized by Google

ferendas, effuſamque in pauperes liberalitatem, quemadmodum Eccleſiaſticum Dignitatis tuae gradum quammaxime decet. Infinitus eſſem, ſi ſingulas recenſere ceteras animi tui praeclariſſimas dotes vellem, & erga memetipſum incredibilem humanitatem.

Quamobrem multiplicium beneficiorum titulo me adactum ſentio, ut aliquod, ſin ampliſſimis meritis tuis dignum, meis ſaltem exiguis viribus accomodatum grati animi indicium rependam. Opuſculum, quod Tibi humillime offero, mole exiguum eſt, ſed

argu-

Digitized by Google

argumenti dignitate graviſſimum. Tractatur in eo unicum aeternae ſalutis negotium, quod Chriſtiani falſarum opinionum lenociniis ſeducti prodigunt, illo ipſo tempore, quo illud promovere ſibi perniciosiſſime illudunt. Quandoquidem non modo effraenata peccandi licentia in dies vexillum erigit, atque latius graſſatur, ſed ad ultimum malorum cumulum plurium recentium Theologorum peregrinis, & univerſae Antiquitati incognitis doctrinis fovetur, & adeo roboratur, ut heinc veluti ex peſtifero fonte profici-

ficiſcatur impietas, quae aetate noſtra & ſcriptis, & ſermone Catholicam Religionem crudeliſſime dilacerat. Elapſo anno prodiit Diſſertatio, qua ſuadere Author nititur, peccatoribus in eadem flagitia frequenter relabentibus adminiſtranda eſſe Poenitentiae, & Euchariſtiae Sacramenta, quoties ad Divinum Tribunal ſe ſiſtunt ex ſacri Miniſtri praeſcripto. Ut vero nihil iſtis facilius, quam Confeſſarios adire, eoſdemque ſuorum ſcelerum certiores facere: ita nihil perniciofius eſſe arbitror nova hac diſciplina; qua pecca-

catores conſcientiae vermem extingunt, inferni timorem amittunt, & aeternae felicitatis ſpe lactantur, ſimulque tranquillo animo diſſolutae vitae rationem perſequuntur: luxum, faſtum, pompas in Baptiſmate abjuratas continuant, choreas, & Theatra frequentant, cum ſuis amaſiis ludunt, & ſuaviſſime converſantur: contracta debita, ut vanitatem foveant, ſolvere praetermittunt: cambia ſicca, contractus foenebres ineunt, libidini indulgent, & cetera vitia perpetrant, errore decepti, quod dummodo a ſacris Mi-

Digitized by Google

niſtris abſolvantur, omnia ſibi crimina condonentur, licet per plura luſtra minime reſipiſcant. Hinc eſt, quod nunquam in Eccleſia Dei tam facilis Sacramentorum adminiſtratio, tanta extrinſecus devotionum, & ſpiritualium exercitiorum frequentia: & nunquam vita effeminatior, & mollior, nunquam mores corruptiores. Cujus funeſtae calamitatis univerſum Catholicum Orbem teſtem appello. Ut ergo tam exitialem in impertienda fictis poenitentibus ſacramentali Abſolutione prodigalitatem exterminarem,

Digitized by Google

nullum non movi lapidem. Utinam tantae mihi vires ſuppeterent, quibus occurrere tot graviſſimis malis poſſem, ob quae non dubito maximam Chriſtianorum hominum partem aeternum interituram, ut Scripturae Divinae, & ſancti Eccleſiae Patres cujusque aetatis uno ore teſtantur. Hos autem qualeſcumque conatus meos, quos admodum tenues eſſe ipſe fateor, TIBI, EMINENTISSIME PRINCEPS, ſiſtere audeo in perpetuum mei obſequii, & obſervantiae argumentum, hac ſpe firmiſſime fretus, ut quemadmodum

Digitized by Google

ego ad veritatem patefaciendam, vindicandamque ab inauditis laxioris ethices paradoxis omnes contuli ingenii, & eloquentiae nervos: Ita Tu ad veritatis ejuſdem jura ſarta tecta tuenda omne auctoritatis, & poteſtatis tuae praeſidium ſis impenſurus; adeoque Patrocinium tuum, quod olim valde utile comperi, longe utilius mihi deinceps futurum confido. Vale.

EMINENTIAE TUAE

Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus
Fr. Daniel Concina O. P.

PRAE-

Digitized by Google

PRAELOQUIUM.

ARGUMENTI, *quod ſum tibi, Chriſtiane Lector, explicaturus, ſive dignitatem ſpectes, ſive neceſſitatem; intelliges, omnium eſſe graviſſimum, &, ut diligenter illud attendas, tua ſummopere intereſſe. Agitur quippe non de fortunarum, neque honoris, neque corporis periculo, aut incolumitate, ſed de animae tuae, quae aeternum paſſura, vel fruitura eſt, ſummo negotio. Nemo vivit, qui non peccet; teſtante Evangeliſta Joanne*, Si dixerimus, quo-

Digitized by Google

quoniam peccatum non habemus, ipſi nos
(a) Jo. 1. 1.8 ſeducimus, & veritas in nobis non eſt (a). *Peribimus ergo, niſi poenitentiam egeri-*
(b) Luc. 13.5. *mus* (b), *quae idcirco ſecunda poſt naufragium tabula jure merito eſt appellata. At vero poenitentia cum pluribus, tum iis maxime opus eſt partibus conſtet, quae ſummum dolorem de patratis, firmumque propoſitum de non patrandis impoſterum peccatis ſpectant. Duorum hujuſmodi ſi deficiat vel unum, nulla eſt: ceterorum ſi deficiant vel omnia, aliquando rata eſt, & utilis poenitentia. Quanta igitur putas diligentia, quanta judicii maturitate differendum, adferant necne, ſicut oportet, peccatores doloris, & propoſiti argumentum, cum ad ſacrum Confeſſionis Tribunal accedunt, ut rite diſpoſiti, & Sacramentali abſolutione digni cenſeantur? Cenſeri autem a nemine dignos poſſe, niſi a Judice, illumque eſſe ab Eccleſia praesbyterii dignitate donatum, & ad id muneris conſtitutum oportere, fides tradit, dicente Apoſtolis Domino*: Quorum

rum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt (a). (a) Jo.20. 23.
Quapropter cum nonnulli ita ſe gerant, ut judicii partes potius committere poenitentibus, quam ipſi exercere videantur; propterea quòd plus aequo fidem praeſtant, & facile abſolvunt vel ſceleratiſſimos homines, peccandi etiam conſuetudine poſt plures confeſſiones implicatos, qui dicant, ſe vere dolere, & impoſterum velle ſine Dei offenſione vitae curſum tranſigere; idcirco univerſa hujuſce meae Diſſertationis ratio verſatur in eo, ut oſtendat, Confeſſarios iſtos nequaquam prudens, & rectum judicium ferre de graviter peccantium, & ſaepe in eadem praeſertim crimina relapſorum confitentium diſpoſitione ad Sacramentum rite ſuſcipiendum maxime neceſſaria: ſed oportere omnino, ut eorum fidem praeviis operibus experiantur, antequam abſolvant. Nam cum chriſtiano cuique viro notum ſit, doloris, & propoſiti actus, non quoſcumque, ſed ſupernaturales, veraces, firmoſque

que

que ad Poenitentiae Tribunal adferri oportere, tamquam materiam Sacramenti proximam, ſine qua nequit forma conſiſtere; eo prorſus modo, quo ſine naturali aqua Baptiſmus nequit conferri: profecto ridiculum eſt, toties Recidivos hujuſmodi abſolvendos judicare, quoties teſtatum verbo ſincerum dolorem, & propoſitum faciant; cum plerique revera neutrum habeant, & gratia juſtificationis minime donentur, omnes tamen utrumque praedicant, & arbitrantur habere. Quid, quod nemo iſtos poſſet ſine abſolutione dimittere, ſi ſatis prudens rectae diſpoſitionis judicium ſuo teſtimonio praeberent. Cui ergo abſolutionem negabimus, ſi iſtis impertiri teneamur? Quorum peccata retinendi collata nobis a Domino poteſtas erit, ſi iſtorum dimittere debeamus? Aliunde igitur commiſſa crimina vere deflere, & deflenda amplius non commiſſuros oſtendant, ut eis credamus. Quis enim adeo inſipiet, ut ſe, ſuaque committat ei vel fidem juranti, quem ſi-

ca-

Digitized by Google

carium, & praedonem pluries invenerit, etiam poſt juramenti religionem? Cum autem aliunde illi nequeant ſuorum animorum ſenſus nobis oſtendere niſi per ſigna, hinceſt, quod rejectis verborum, quae toties fallacia fuere, debeamus ſignis operum niti dumtaxat, ut rite diſpoſitos, necne prudenter judicemus. Quapropter eoſdem abſolvere nequaquam poſſumus, antequam veterem exuant, & novum induere hominem incipiant; nempe, peccandi conſuetudine abſciſſa, cauſiſque ſublatis, talem vitae rationem ingrediantur, qualem ore profitentur, & ſpondent. Excipiendi tamen inſoliti caſus ſunt, puta mortis periculi, & peculiaris converſionis, nam de Recidivis generatim ea, quae dicturus ſum, intelligi volo.

Sed quorſum hanc graviſſimam diſputationem, quae cum copioſè, tum ſapienter a pluribus doctiſſimis viris confecta jam antea videtur, inſtituam ego, qui cum iis neque ingenio ſum, neque dicendi copia com-

Digitized by Google

parandus; breviter oſtendam. Paucis ab hinc menſibus Romae editus liber eſt, inſcriptuſque:

LIBRI PRIMI DECRETALIUM
SELECTAS THESES
CONGREGATIO SACERDOTUM
IN DOMO PROF. ROM. SOC. JESU
D.D.D.
Praemittitur DISSERTATIO THEOLOGICA
a Sacerdote ejuſdem Congregationis
habita labente hoc anno
MDCCLIV.
ROMAE
Ex Typographia Antonii de Rubeis.

Ideoque cum iſta Diſſertatio, quae agit de danda, aut differenda peccatoribus, etiam poſt plures confeſſiones in eadem mortalia crimina relapſis abſolutione, non ab uno aliquo authore, ſed ab univerſa Sacerdotum Congregatione vulgata ſit, & quidem Romae; non leve confeſſariis faceſſere negotium poteſt. Ego igitur, ut falſam exiſtimo in eo libello doctrinam contineri, non

meo

meo quidem judicio fretus, ſed omnis generis auctoritate, & ipſa ratione innixus: ita caritati contrarium eſſe arbitror, eam pro viribus non impugnare. Quod ſane utrum effecerim, nec ne, ſapientes decernant, certe ego ſecutus ſum. Nec putare quiſquam poteſt, certandi ſtudio a me iſta eſſe profecta. Quandoquidem cum non agatur de aliqua quaeſtione, in qua variae, & inter ſe pugnantes abſque animarum pernicie defendi ſententiae poſſunt, ſed ea de re diſſeratur, quae materiam, & formam ſpectat Sacramenti ad remiſſionem criminum omnino neceſſarii, in quo ſi erratur, actum, conclamatùmque eſt de prope infinitorum Chriſtianorum aeterna ſalute: quid excogitari praeſtantius; quid agi utilius, & gravius poteſt? An qui puritatem Catholicae Doctrinae defendere, & innumeram perditorum multitudinem ab inferni faucibus conatur eripere, aemulationis ſpiritu agitari, diſſidia, ſcandala inter Catholicos movere, Eccleſiam perturbare, haereticis objurgandi

 co-

copiam facere, jure reprehenditur? De ratione igitur conſilii mei nullum eſſe arbitror ſuccenſendi locum. Jam vero de Stylo diſſerendi mea quidem ſententia eſt, quam etiam intelligo ab omnium ſaeculorum Patribus, ipſisque canonicis ſcriptoribus, & maxime Prophetis fuiſſe antea ſuſceptam; ut ejuſmodi cauſae moralis diſciplinae graviores non ſubmiſſa voce, academico more, blandeque orari debeant, quemadmodum ii omnes vellent, qui libero opinandi modo conquieſcere, & quamlibet contrariarum partium ſequi poſſe ſententiam laetantur; multoque minus diſtinctiunculis, effugiis, cavillationibus, ſed potiſſimis locorum theologicorum praeſidiis, & copia finiendae ſint. Deinde etiam vocis adhibenda vis, ut ſurdae aures percellantur, obtuſaeque mentes tandem expergefiant. Quare ſi quis me accuſet, quod in hac cauſa vehementius commovear, ſeipſum accuſat, & falſarum opinionum, laxioriſque doctrinae patronum luculentiſſime ſe prodit. Nam qui veritatem

tem

tem ſecuntur, qui ſanae doctrinae zelo, & divinae gloriae ſtudio exardeſcunt, nunquam magis gaudent, nunquam verius exultant, & grates Deo perſolvunt, quam cum audiunt, Theologos pro veritate ſarta tecta aſſerenda vires intendere, atque opiniones animarum ſaluti pernicioſas acri oratione, & invicto pectore profligare. Contra magiſtri errorum, & eorum diſcipuli, qui opinionibus variis, & peregrinis patiuntur abduci, ſubmiſſa voce, ſtylo verſatili, & quieto tractari omnia cupiunt, veluti qui per muta noctis ſilentia merces vetitas, aut corruptas aſportant. Quid tu, inquiet aliquis, in cenſorem erigeris? Quid errorem, quid veritatem definis privata auctoritate? Quid iſtum condemnas auctorem, illum commendas? Neque ego cenſoria poteſtate quaeſtiones decerno, neque auctores condemno, ſed, quae videntur conformes divinae legi, ſententias defendo, & complector, contrarias rejicio, ac deteſtor? Auctoribus neque ſuccenſendum, neque detrahendum

unquam putavi, ſed potius eorum famae, atque honori conſulendum, parcendumque, ſiqua culpa in opinando commiſſa eſt. Quod ut in re, de qua agimus, magis oſtendam, Auctorem citatae Diſſertationis ſumma benevolentia, & obſequio proſequi, morumque probitatem commendare non deſino; Diſſertationem ipſam vero, quam ut privatus Théologus labefactare curabo, legitimorum, ac vere ſapientum judicúm ſententia finiendam relinquo.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM

CAPUT PRIMUM

Juſtificationis Chriſtianae characteres, & effectus. Pag.1.

CAPUT II.

Scripturae mandant, ut peccatores toto conatu recuperare ſatagant amiſſam juſtificationem. 10.

CAPUT III.

Paucis colligitur doctrina noviſſimae Diſſertationis Theologicae. 12.

CAPUT IV.

Eaque oppoſita allatis Scripturae teſtimoniis, Tridentino Concilio, ejuſque interpreti Bellarmino deprehenditur. 16.

CAPUT V.

Exemplis etiam Apoſtolorum, & Patrum ſententia oſtenditur, peccatores, maxime Recidivos conſuetudinarios toto conatu debere ad juſtificationem ſeſe praeparare. 26.

CAPUT VI.

Epiſcopi, Cardinales, & Theologi praeſtantiores eamdem ſententiam ſecuntur. 32.

CAPUT VII.

Theologi quoque clariores Societatis Jeſu eam defendunt. 49.

CAPUT VIII.

Rationum momentis eadem confirmatur. 55.

CA-

CAPUT IX.

Refelluntur objectiones, ſeu potius ſophiſmata ex quorundam Doctorum auctoritate congeſta. 68.

CAPUT X.

Refelluntur ſophiſmata ex praxi nonnullorum Sanctorum conficta. 91.

CAPUT XI.

Oppoſitio ex Rituali Romano diluitur. 103.

CAPUT XII.

Refellitur doctrina libelli inſcripti: La pratica di confeſſare, *ab Authore praefatae Diſſertationis propugnata.* 105.

CAPUT XIII.

Rigoriſmi nota ab eodem Authore inuſta Merbeſio, Genetto, & Jueninio penitus tollitur, eorumque doctrina expenditur, & vindicatur. 111.

§ I.

Expenditur, & vindicatur doctrina Merbeſii. 113.

§ II.

Expenditur, & vindicatur doctrina Genetti, & Jueninii. 119.

CAPUT XIV.

Duo monita, quibus praefatus Author Diſſertationi finem imponit, tamquam laxiorem vivendi rationem foventia, rejiciuntur. 125.

CAPUT XV.

Prorſus oppoſita iis monita tradunt Scripturae, ss. Patres, & ſapientiores Theologi. 132.

CAPUT XVI.

Ipſa quoque humana ratio oſtendit, longe diverſa ab iis monita Chriſtianos eſſe docendos. 144.

CAPUT XVII.

Proponuntur vere utilia, ac neceſſaria Confeſſariis monita pro recto abſolutionis Sacramentalis uſu. 150.

NOS

Digitized by Google

NOS FR. ANTONINUS BREMOND

Sac. Theol. Profeſſor, ac totius Ordinis Fratrum Praedicat. humil. Magiſter Generalis, & Servus.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate Officii, quantum in Nobis eſt, facultatem concedimus R. P. L. Fr. Danieli Concinae Congregationis noſtrae B. Jacobi Salomonii Typis edendi opus ab ipſo elaboratum cui titulus: *De impertienda, aut differenda Recidivis Conſuetudinariis abſolutione Sacramentali*: dummodo a duobus Sac. Theol. Profeſſoribus Ordinis Noſtri praelo dignum judicetur, & ſerventur caetera de jure ſervanda. In Nomine Patris &c. In quorum &c.

Datum Romae in Noſtro Conventu S. M. S. M. die 26. Aprilis anni 1755.

Fr. Antoninus Bremond
Mag. Ord.

Reg. pag. 4.
Fr. Thomas Ignatius Maria Natta
Magiſt. & Socius.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Antonini Bremond totius Ordinis Praedicatorum Generalis Magiſtri legi librum inſcriptum : *Fr. Danielis Concinae Ordinis Praedicatorum de impertienda, aut differenda Recidivis Conſuetudinariis abſolutione Sacramentali Diſſertatio Theologica* : neque quicquam in eo offendi, quod aut Catholicae fidei, aut rectae morum diſciplinae adverſetur. Immo vero maximi momenti quaeſtionem ſolita clariſs. Authoris dicendi vi, atque Theologicae doctrinae copia tractatam reperi. Quare librum hunc Confeſſariis imprimis utilem, & publica luce dignum cenſeo.

Romae in Conventu s. Sabinae die 21. Aprilis 1755.

Fr. Bruno Xaverius Thoma Ord. Praed. Sac. Theol. Profeſſor.

LIbrum, cui titulus : *Fr. Danielis Concinae Ordinis Praedicatorum de impertienda, aut differenda Recidivis Conſuetudinariis abſolutione Sacramentali Diſſertatio Theologica*, ex Reverendiſſimi P. Fr. Antonini Bremond totius Ordinis Praedicatorum MagiſtriGeneralis praeſcripto accuratiſſime legi. Nihil in ea reperi a Catholica Religione, & bonis moribus alienum. Cenſeo proinde, in commune tum Confeſſariorum, tum Poenitentium commodum typis committi poſſe.

Romae apud s. Sabinam XI. Kal. Majas 1755.

Fr. Alvarus Maria Ara Ord. Praed. Sac. Theol. Profeſſ. & Lector.

Diſ-

Digitized by Google

DIſſertationem Theologicam: *De impertienda, aut differenda Recidivis Conſuetudinariis abſolutione Sacramentali* attente perlegi, & in ea nihil repperi, quod noſtrae Fidei dogmatibus, & bonis moribus conſentaneum non ſit; ideoque eam publicae lucis dignam cenſeo.

Romae VI. Kal. Aprilis 1755.

Johannes Bottarius.

JUſſu Reverendiſſimi P. Magiſtri Sac. Pal. Apoſtol. attentè legi Diſſertationem: *De impertienda, aut differenda Recidivis Conſuetudinariis abſolutione Sacramentali* doctiſſimi, clariſſimique Theologi *P. Danielis Concinae* Ord. Praed. Nihil in ea meo judicio eſt, quod ab orthodoxae Fidei, ſive a morum regulis abhorreat: Immo vero, quae ibi traduntur, copioſeque propugnantur de Sacramento Poenitentiae hominibus prava peccandi conſuetudine irretitis adminiſtrando tum Scripturis Sacris, tum Sanctorum Patrum monitis, tum denique Catholicae Eccleſiae traditioni conſentanea prorſus mihi viſa ſunt. Plurimum itaque utilitatis Chriſtianos omnes, praecipue vero Poenitentiae Sacramenti Miniſtros ex illa capturos eſſe cenſeo, ſi typis mandetur.

Romae ex aedibus Vallicellanis hac die 29. Aprilis 1755.

Carolus Maſſini Congr. Oratorii Romani.

Le-

Digitized by Google

LEgens *Diſſertationem Theologicam* Cl. Viro Fr. Danielis Concinae Ordinis Praedicatorum *De Sacramentali abſolutione impertienda, aut differenda Recidivis Conſuetudinariis*. Eccleſiae doctrinam in ea ſtrenue propugnatam inveni, & publica luce dignam cenſeo.

Datum Romae die 30. Aprilis 1755.

Petrus Franciſcus Fogginius.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriar. Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patris Magiſt. Sac. Pal. Apoſt. Socius.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO THEOLOGICA

CAPUT PRIMUM.

Juſtificationis Chriſtianae characteres , & effectus .

OMnium caeleſtium donorum , & virtutum praeſtantiſſimum opus juſtificatio eſt , qua clementiſſimus Deus in profundum maris , ut Michaeas loquitur, projicit omnia peccata noſtra , & effundit ſuper nos aquam mundam , ſanguinem nempe Filii ſui in ara Crucis effuſum , cujus virtute ab omnibus iniquitatibus noſtris liberati , ejuſdem Filii Dei cohaeredes , & gloriae Sanctorum conſortes efficimur . Quare ſapienter s. Auguſtinus in *cap.* 14. Joannis , & s. Thomas 1. 2. *qu.*113. *ar.* 9. docent , juſtificationem maximum opus Dei : longeque majus eſse , *ut ex impio juſtus fiat , quam creare caelum , & terram .*

II. Firmitatem , & ſtabilitatem tamquam proprios iſtius juſtificationis characteres deſignat 1. *Cor. cap.* 7. s. Paulus : *Quae enim ſecundum Deum triſtitia eſt , poenitentiam in ſalutem STABILEM operatur .* Poenitentia , inquam , quae ſecundum Deum , non ſecundum hominum ſpeculationes , & arbitraria , novaque figmenta eſt, ſtabilem operatur ſanctitatem. Propterea idem Apoſtolus 1. *Cor. cap.*15. haec ſubdit : *Itaque fratres mei dilecti STABILES eſtote, & IMMOBILES abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino .* Et rurſus ad Colloſſenſes *cap.*1. repetit :

Digitized by Google

Et vos cum eſsetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos ſanctos, immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo. Si tamen permanetis in fide fundati, & STABILES, & IMMOBILES. Hujus ſtabilis conſtantis animi Deo devincti fructus, victorias, & de quibuſcumque hoſtium ſaevientium inſidiis triumphos praeclariſſimos exponit Rom. *cap.* 8. idem Paulus hac ſane gravi, & vehementi oratione. *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? An tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? (ſicut ſcriptum eſt: quia propter te mortificamur tota die, aeſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes; neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quae eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

II. Duo itaque magna eloquentiae vi nobis declaravit s. Paulus. Unum, dotes, & characteres reconciliationis noſtrae cum Deo eſſe ſtabilitatem, firmitudinem, & immobilem perſeverantiam. Alterum, iſtius conſtantiae, & ſtabilitatis effectum eſſe, inimicos, tribulationes, anguſtias, pericula, & perſecutiones contemnere. Et reipſa immenſa Paganorum, & Judaeorum ad fidem converſa multitudo hoc juſtificationis dono praedita, ejuſque amore ſuccenſa cruciatus, diraque tormenta, invicta fortitudine ultro adiit, & ſuſtinuit. Hac armatura caeleſti inſtructi, majores noſtri, ceu invicti heroes in arenam pro Chriſto deſcendere, immanes Tigrides, Leones, Urſos, & ferociores beſtias deſpicere, illarumque epulas, veluti frumenta Chriſti fieri in deliciis habuerunt. Neque viri tantum fortes, & ſapientia praeſtantes, verum etiam adoleſcentes, pueri, puellae, virgineſque equuleos, plagas, tribulationes multas, & maximas ignes ardentes, vulnera, univerſi corporis confractionem contemnebant, ſed omnia atrociora ſupplicia, procellas, exilia,

tem-

Digitized by Google

tempeſtates, & cetera, quae excogitare immanes, crudeleſque Tyranni potuerunt, invicto pectore ſubibant. Homines illi erant, eodem, ac nos, luto compacti: & nos eadem, ac illi diſciplina, fide, & lege imbuti, iiſdem praeſidiis plus, & minus ſuffulti, eodem divino cibo aliti, eodem pretioſo ſanguine potati, eadem juſtitia ſanctificati ſumus: immo nos illorum exemplis animati, atque incitati, ſeveriori obnoxii ſumus condemnationi, ſi a veritatis via deflectimus. Hinc Apoſtolus Paulus, poſtquam ſanctificatos Judaeos ad ſublimem novi foederis majeſtatem, & divina myſteria meditanda erexit, animavitque, ut conſtantem fiduciam in Chriſto Jeſu reponerent, qui infirmitatibus noſtris compati, auxiliari, & pro tentationum diverſitate majorem ferre opem paratus eſt, eorum, qui a ſtatu juſtitiae in peccatum prolabuntur infelicitatem, extremamque reſurgendi difficultatem gravi oratione exponit *Hebr. cap. 6.* inquiens: *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum caeleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſaeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad poenitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Quam veritatem, ut ad illorum captum accomodet, altiuſque in eorumdem cordibus imprimat, ſequentem iiſdem perhibet ſimilitudinem, ab ipſa rerum natura arceſſitam. *Terra enim ſaepe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo: proferens autem ſpinas, ac tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem.* Ad haec velim, ut diligenter attendant nonnulli, de quibus infra ſermo recurret, qui imbrem Sanguinis Chriſti, & ejuſdem Sacratiſſimi Corporis epulum illis in annos ſingulos pluries diſpenſant, qui praeter propter eoſdem ſemper pariunt tribulos. Neque enim ſat eſt, ut pauciores ſpinas edant; ſed oportet etiam, ut tam caeleſti cultura exculti, penitus evulſis mortiferis reptibus, herbam, fructus aeterna vita dignos emittant, ambulentque conſtantes in via mandatorum Dei.

Digitized by Google

III. Quae quidem a me ita dicta ſint, ut tamen longiſſime abhorream a *Novatianis*, qui nullum dari poenitentiae remedium quibuſdam delictis colligebant ex ſuperiore Pauli loco. Nam idem Apoſtolus in epiſtolis ad Galatas, ad Corinthios, aliiſque bene multis uberrime poenitentiae vim, & efficacitatem exponit, & lapſos ad poenitentiam hortatur, & urget: licet hac ad Hebraeos epiſtola opportunum non judicarit poenitentiam inculcare, quoniam non alloquebatur peccatores, quos converteret, ſed juſtos ne laberentur: & ut iſtos conſtantes, fortes, atque immobiles efficeret, juſtificationis dotes, & praerogativas exponit, unaque graviſſimam difficultatem, ejuſdem recuperandae ante oculos ponit. Duplex eſt igitur Patrum expoſitio iſtius vocis *impoſſibile*. Alii interpretantur *difficile*: alii in obvio, & litterali ſenſu doctrinam Apoſtoli accipiunt, inquientes, impoſſibile eſſe rurſus renovari poſt baptiſma lapſos ad priſtinam illam innocentiam, quam ſemel infuſam in ſacro lavacro acceperunt, cum baptiſmus iterari non valeat: proindeque merito Novatianos damnavit Eccleſia. At non minus Calviniſtas oppoſitos, qui juſtificationem Chriſtianam *inamiſſibilem* effutiunt. Nunc doctrinam perſequamur s. Pauli, qui *c.* 10. eam dem veritatem repetit, & altius commendat inquiens: *Teneamus ſpei noſtrae confeſſionem indeclinabilem . . . Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem quaedam expectatio judicii, & ignis aemulatio, quae conſumptura eſt adverſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiae contumeliam fecerit?* Dicam paucis. Juſtificatio chriſtiana natura ſua firma, ſtabilis, atque immobilis eſt: Sed hominum infirmitate, & pravitate mobilis eſt, & frequenter amittitur, ut triſti experientia compertum eſt: & ſaepius amiſſa recuperari poteſt, at non ſine gravi difficultate, laboribus, & lacrymis, ut infra palam faciam.

IV. Quo-

Digitized by Google

IV. Quoniam vero nihil conducere efficacius ad aeternae ſalutis acquiſitionem valet, quam ut Chriſtiani veram, ſinceramque converſionis, & juſtificationis divinae ideam concipiant, lubet paulo fuſius eamdem aliis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis roborare. Et antequam id præſtem, duos oppoſitos errores revocare iterum ob oculos expedit. Primus eſt Calviniſtarum jam indicatus, nempe juſtificationem ſemel infuſam amitti non poſſe: veritas quippe contraria articulus fidei eſt, in Tridentino definitus. Alter error oppoſitus, & hodie inter plurimos catholicos valde communis eſt, quod juſtificatio divina frequenter reipſa, & communiter amittatur, & facile, citoque recuperetur. Plurimi ſibi illudunt, Chriſtianorum vitam eſſe veluti perpetuum confeſſionum, & relapſuum circulum, catenamque continuam: quae certe illuſio ſpiritui Chriſtianae Religionis ſummopere adverſatur. Veritas enim evangelica inter hos duos extremos errores eſt, quod juſtificatio Chriſtiana amitti poſſit, communiter tamen non deperdatur. Prolabuntur reipſa interdum juſti, ſed hoc raro evenit, quia juſtificatio haec natura ſua ſtabilis eſt, & firma, ut Scripturae divinae, & omnes ſancti Patres docent. Et niſi error de hac fere continua confeſſionum, & relapſuum viciſſitudine e mentibus catholicorum, & confeſſariorum penitus deleatur, ſteriles omnino ſunt & conciones, & exhortationes, & cetera ſpiritualia exercitia.

V. Haud dubito, quin plurimi futuri ſint, qui hanc poſtulare doctrinam & rigoriſmi, & temeritatis facile velint: arbitrantes, eâ facile agi in deſperationem ſalutis ingentem catholicorum multitudinem, qui ſaepe confitentur in annos, & menſes ſingulos, & frequenter relabuntur. At, ſi bene perpendatur haec doctrina, potius in veritatis ſemitam revocat obcaecatos, ſeductoſque peccatores. Quique oppoſitam tuentur, ſunt ii, qui proprio cerebro juſtificationem excogitarunt corruptis Chriſtianorum moribus accommodatam, & conſentaneam. In medium veniant alia Scripturarum teſtimonia, quae S. Pauli locum confirmant.

VI. Evan-

Digitized by Google

VI. Evangeliſta Matthaeus *cap.*7. inquit . *Omnis ergo , qui audit verba mea haec , & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti , qui aedificat domum ſuam ſupra petram . Et deſcendit pluvia , & venerunt flumina , & flaverunt venti , & irruerunt in domum illam , & non cecidit . Fundata enim erat ſupra petram . Et omnis , qui audit verba mea haec , & non facit ea , ſimilis erit viro ſtulto , qui aedificavit domum ſuam ſupra arenam . Et deſcendit pluvia , & venerunt flumina , & flaverunt venti , & irruerunt in domum illam , & cecidit , & fuit ruina illius magna* . Quid dici expreſſius poteſt ? Juſtificatio electorum ſimilis eſt aedificio ſupra petram erecto : & juſtificatio Recidivorum ſimilis eſt domui ſupra arenam fundatae , quæ , ſuperveniente tentationum vento , præceps corruit . S. Lucas Evangeliſta hanc veritatem munit , & Recidivorum frequenter relabentium juſtificationem comparat plantae radicibus deſtitutae , quae repetita caeleſtium gratiarum pluvia foecundata , fructus minime parit. *Hi radices non habent,qui ad tempus credunt,& in tempore tentationis recedunt* : *cap.* 8. Evidentius hanc ſummi momenti veritatem exponit S. Joannes Evangeliſta *cap.* 14. his verbis . *Si quis diligit me , ſermonem meum ſervabit , & Pater meus diliget eum , & ad eum veniemus , & MANSIONEM apud eum faciemus* . Numquid manſionem Deus facit in recidivis conſuetudinariis ? Iſti in Sacramentis ſuſcipiunt Chriſtum Jeſum , quemadmodum caupones hodie recipiunt hoſpites , & poſtridie eoſdem dimittunt . Princeps Apoſtolorum Petrus *epiſt.* 1. *cap.* 4. haec ſcribit . *Chriſto igitur paſſo in carne : & vos eadem cogitatione armamini , quia qui paſſus eſt in carne , deſiit a peccatis : ut jam non deſideriis hominum , ſed voluntate Dei , quod reliquum eſt , in carne vivat temporis* . Hac vos , o Chriſtiani , clamat Petrus , armamini cogitatione . Quicumque mortuus eſt carnali concupiſcentiae per vitam ſuſceptae juſtificationis , a peccatis abſtinet : ita , ut reliquo vitae tempore non vivat ſecundum hominum paſſiones , ſed juxta voluntatem Dei . Et reipſa Pagani in admirationem acti , & alto ſtupore percuſſi ſpectabant Chriſtianos ad Chriſtum conver-

ver-

Digitized by Google

verſos, veluti divinos homines, quod eoſdem habere amplius antiquae luxuriae ſocios non poſſent. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confuſionem*. ibi.

VII. S. Joannes Evangeliſta *epiſt.* 1. *cap.* 3. iterum hanc juſtificationis ſtabilitatem, & firmitatem corroborat his verbis. *Omnis, qui natus ex Deo eſt, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*. Senſus hujus textus eſt ſecundum SS. Patrum interpretationem, quod Filius Dei, uſque dum perſeverat Filius Dei, nullum peccatum mortale perpetrat. Quoniam ſi unicum committit, deſinit eſſe Filius Dei, inquit inter alios Tertullianus haec verba explicans. *Haec non admittet omnino, qui ex Deo natus fuerit: non futurus Dei Filius, ſi admiſerit*. Exponit Evangeliſta oppoſitionem inter qualitatem Filii Dei, & peccatum, non inter peccatum, & hominem, qui cum infirmus ſit, ſane peccare poteſt, ut idem Evangeliſta ibidem *cap.*2. declarat. *Sed & ſi quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum*. Damnat itaque Evangeliſta haereſim Calviniſtarum de *inamiſſibilitate* divinae juſtificationis: ſed ſimul luculentiſſime exponit conſtantiam, & ſtabilitatem ejuſdem, & improbat oppoſitum errorem, quod juſtificatio frequenter amittatur, & frequenter facile recuperetur, & quod vita Chriſtiana vertetur in continua plurium annorum viciſſitudine confeſſionum, & flagitiorum. Repeto igitur, quod inter haec duo extrema & inamiſſibilitatis, & frequentis amiſſionis juſtitiae divinae veritas eſt, quod juſtus poſſit peccare, & reipſa interdum peccat, ſed hoc raro contingit.

VIII. Scripturae Sanctae dum ſtabilitatem, & firmitudinem divinae juſtificationis inculcant, ejuſmodi expreſſiones accipiendae ſunt, ut Patres omnes docent, juxta communem, & ordinarium loquendi modum, & conſuetudinem. Quoniam reipſa Filii Dei communiter rebellionis crimen non perpetrant adverſus divinum Patrem: quamquam & id committere queant, ut reipſa relabantur, & proditores fiant. Veritas haec exemplis clarior evadet. Quid uſitatius, quam hi ſermones? Subditi

diti fideles communiter proprium principem non produnt. Principes optimi communiter propria non abutuntur poteſtate, qua opprimant innocentes. Judices recti communiter muneribus non corrumpuntur, ut juſtitiam vendant. Quis hinc colliget, recenſitos & ſubditos, & principes, & judices non poſſe praefata delicta committere, & quod aliquando non committant? Sed quia, ut experientia diuturna conſtat, id communiter non evenit, ſed raro accidit; idcirco ſecundum conſuetam loquendi rationem abſolute dicitur, quod tales homines indicata delicta non patrent. Hac communi loquendi ratione utuntur Scripturae divinae, & ss. Patres, cum docent juſtificationem ſtabilem eſſe, atque firmam. Cedo. Servus domeſticus, qui quolibet bimeſtri, aut trimeſtri bona ſurriperet Domino ſuo, an non eſſet toto anno fur, & latro? Amicus, qui pluries quotannis amici ſecreta in negotiis graviſſimis proderet, an non eſſet continenter infidus, & proditor? Ergo idem dicamus oportet de recidivis conſuetudinariis, qui quolibet menſe, bimeſtri, aut trimeſtri fidem Deo ſolemni ritu datam violant, & frangunt: qui quemadmodum feſtis ſolemnibus ſplendidiores induunt veſtes, ſic quoque divino juſtificationis habitu quaerunt animam praetexere. Verum ſicut tranſacta ſolemnitate ſplendida exuunt corporis ornamenta, ita quoque deponunt, corruptis animae moribus, inſignia juſtificationis.

IX. Ex divinis Scripturis, ſive veteris, ſive novi foederis, colligimus, aliquando quoſdam juſtos lapſos eſſe; ſed raro: nullibi vero legimus, frequenter plurium annorum intervallo lapſos, & converſos fuiſſe. Quoniam certum eſt, Deum electorum lapſum permittere, ut inde vel juſtus, qui cadit, vel alii electi, qui juſtitia ornati tam funeſtum eventum intelligunt, profectum ſalutis capiant. At ſi res ita ſe haberet, ut frequentes, & ordinarii inter juſtos eſſent ejuſmodi relapſus, nemo inde proficeret, immo omnes audaciores ad peccandum evaderent. Nam cum Conſilium Dei in permittendo alicujus juſti lapſu ſit, ut lapſus, & ceteri, qui tantum infortunium ſciunt,

Digitized by Google

ſciunt, humiliores, vigilantiores, & experrectiores fiant, atque ut cum timore, & tremore ſalutem ſuam operentur; profecto, ſi, ut quidam contendunt, frequentes, & ordinarii eſſent juſtorum lapſus, facileſque converſiones ad juſtificationem, non modo humiliores, & vigilantiores non evaderent, ſed contra, negligentiores, & praeſumptiores fierent: timorem lapſuum amitterent, & facilitas reſurgendi eſſet illis novum ad peccandum illicium: quoniam, ut s. Auguſtinus ait: *Quod facile ſanatur, non multum cavetur*; ac veluti ludus eſſet flagitia iterare, & poenitentiam agere, ut infra cum omnibus Patribus palam fiet. Funeſta haec conſectaria lacrymabili experimento graſſari inter hodiernos Chriſtianos ipſi conſpicimus. Decepti, & illuſi iſti exiſtimant hanc eſſe communem juſtorum ſortem laethaliter peccandi, & confitendi, & in hoc confeſſionum, & relapſuum circulo vitam ducere. Siquidem ab infantia ipſa propriis oculis hanc contemplantur viciſſitudinem; & inde relapſuum horrorem penitus exuunt, & in converſionis, & veniae facilitate ſpem omnem ſuam collocant. Niſi hanc erroneam perſuaſionem, quae praecipua evangelicae doctrinae capita tum de paucitate ſalvandorum, tum de Sacramentorum efficacitate, & de amoris divini virtute evertit, e Chriſtianorum animis penitus evellamus, flagitiorum torrenti aggeres opponere haudquaquam valemus. Contra ſi ſemel perſuaſi fuerint Chriſtiani raros eſſe juſtorum relapſus, & perdifficiles converſiones veras, facilius inter juſtitiae ſemitas ſe continebunt, & in ſpiritu humilitatis, timoris, & pavoris in hac lacrymarum, non gaudiorum, neque laetitiarum valle ſalutem ſuam operabuntur. Haec in anteceſſum praemittere operae pretium exiſtimavi, plura infra dicturus, ut novum quorumdam Caſuiſtarum de Recidivorum converſione ſiſtema, recenſitis divinis Scripturis adverſum, penitus profligarem.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Scripturae ſanctae praeſcribunt, ut toto conatu, & tota fortitudine ſatagant peccatores recuperare amiſſam Juſtificationem.

HActenus indolem juſtificationis Chriſtianae, nempe ſtabilitatem, firmitudinem, & conſtantiam expoſui: nunc qua ratione ſe gerere homo debeat, ut illam ſemel acceptam recuperet, ſi ſua malitia perdiderit, explicem fas eſt, teſtimoniis Scripturae divinae in medium adductis. Haec Deut. *cap.* 4. habentur. *Cum quaeſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen in TOTO corde quaeſieris eum, & in tota tribulatione animae tuae*. Item 1. *Reg. c.* 7. *Si in TOTO corde veſtro revertimini ad Deum ... ſervite ei ſoli, & eruet vos.* Iterum 3. *Reg. c.* 8. *Si reverſi fuerint ad te in UNIVERSO corde ſuo, & TOTA anima ſua .... propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi*. Rurſus 2. *Paralip. c.* 30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in TOTO corde requirunt Dominum*. Job. *cap.* 42. *v.* 3, & 4: *Inſipienter locutus ſum, & quae ultra modum excederent ſcientiam meam ... idcirco ipſe me reprehendo, & ago poenitentiam in cavilla, & cinere*. Et Pſalmiſta *pſalm.* 50. *v.* 19: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Iſaias quoque *cap.* 38. *v.* 15: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*. Quae quidem omnia ſatis ſuperque ad oſtendendum eſſent, quam enixis animae, cordis, corporiſque viribus poenitentiam agere de perpetrato crimine debeamus, ut in gratiam redire poſſimus ſummi Dei.

II. Audiamus tamen alios Prophetas. Joel *cap.* 2. haec habet. *Nunc ergo dicit Dominus. Convertimini ad me in TOTO corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt, patiens, & multae miſericordiae, & praeſtabilis eſt ſuper malitia .... Egre-*

dia-

diatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Iſaias Propheta haec *cap.* 59. pro converſione peccatoris praeſcribit. *Rugiemus quaſi urſi omnes, & quaſi columbae meditantes gememus*. Et Michaeas *cap.* 4. *Dole, & ſatage Filia Sion quaſi parturiens*. Quid eſt, quod tantam cordis amaritudinem, & planctum adeo acerbum, & rugitus, & ululatus tam triſtes pro peccatorum comparanda juſtificatione Deus praecipiat? Quia, reponit ille ipſe Eccl. *c.* 1. *Perverſi difficile corriguntur*. Et Propheta Jeremia c. 13. ſubdit. *Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. Recidivi frequenter in ſchola, ſeu verius in ſentina iniquitatis volutantur: iſti vias pravas perdiſcunt, & animas ſuas repetita nigredine obtenebrant: idcirco, non ſecus, ac Aethiopes, difficillime dealbantur, ſuamque malitiae pellem permutant.

III. Pauca adjiciam teſtimonia ex ss. Evangeliis. S. Matthaeus *cap.* 7. haec docet. *Intrate per anguſtam portam, quia lata, & ſpatioſa via eſt, quae ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. QUAM anguſta porta, & arcta via eſt, quae ducit ad vitam! & pauci ſunt, qui intrant per eam. Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit*. Ut viam arctam inſiſtamus, & portam anguſtam ingrediamur, vim perferre, & totas exerere vires oportet. Pauci autem ſunt, qui diu hanc vim pati, & longam ſuſtinere pugnam velint. Idcirco praevidit Redemptor noſter Chriſtus, venturos magiſtros fore, qui & anguſtam amplificare viam, & arctam dilatare portam curaturi eſſent. Quamobrem ſerio nos admonet, ut ab iſtis magiſtris vigilantiſſime caveamus, quoniam ut fucum nobis faciant, inquit Chriſtus, induunt ſe veſtibus ovium. Verum facile eos deprehendimus, ſi in id incumbamus, ut fructus, quos in animabus noſtris producunt, mature examinemus. Dignoſcimus

mus peritum eſſe medicum, ſi is a morbis nos liberet, ſanitatemque reſtituat, quia iſti ſunt medicorum fructus. Similiter ii ſunt veri Prophetae, & docti evangelicae doctrinae magiſtri, qui peccatorum animas vulneribus ſauciatas, flagitiiſque deformes ad priſtinam reſtituunt ſanitatem, & Chriſto conformes efficiunt in cruce ferenda, in humilitate colenda, in mundi pompis contemnendis, in divina lege implenda, & in Chriſti veſtigiis ſectandis. Similia Evangeliſta Lucas *cap.* 13. perhibet. *Ait autem illi quidam. Domine ſi pauci ſunt, qui ſalvantur. Ipſe autem dixit ad illos. CONTENDITE intrare per anguſtam portam, quia multi dico vobis quaerent intrare, & non poterunt. Cum intraverit Paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium dicentes: Domine aperi nobis: & reſpondens dicet vobis. Neſcio vos unde ſitis .... Diſcedite a me omnes operarii iniquitatis.* Quid ſignificat *contendite intrare per anguſtam portam*? Non aliud ſane, niſi conamini, & tota fortitudine ſatagite, ut hanc anguſtam portam penetretis. Hunc conatum repetit Apoſtolus Petrus 1. *epiſt. cap.* 1. his verbis: *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Haec enim facientes, non peccabitis aliquando.* Et *Matth. c.* 11. *Regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

CAPUT TERTIUM.

Doctrina Diſſertationis laudatae paucis perſtringitur.

PRimum omnium Author *cit. Diſs. pag.* 7., & 8. Recidivi notionem perhibet his verbis. „ Quamvis enim communiter dividatur recidivus in ſimplicem, & conſuetudinarium, notat tamen *GOBATTUS tract. 7. caſ. 16.* Theologos, quando tractant, utrum impertienda ſit, nec ne abſolutio Recidivis; loqui ordinarie de *conſuetudinario* non autem de ſimplice: ideſt de eo, qui *frequenter relabitur poſt plures confeſſiones*, non de eo, qui bis, aut ſemel

„ in-

„ intra aliquod notabile tempus relapſus eſt poſt unicam fa-
„ ctam confeſſionem .... Conſtat hoc ex lectione talium Theo-
„ logorum, ac praecipue ex Card. de Lugo *de Poenit.diſp.14.*
„ *n. 166.* ubi recidivitas ſic deſcribitur: *Frequens reincidentia*
„ *in eadem peccata poſt multas Confeſſiones abſque VLLA*
„ *EMENDATIONE* .... Quare tria requiruntur ad conſti-
„ tuendum recidivum in hac acceptione theologica.I.*Frequens*
„ relapſus poſt plures Confeſſiones. II. Deinde relapſus in
„ eadem ſpecie peccata. III. Defectus OMNIS *etiam inchoa-*
„ *tae emendationis.*

„ Et primo quidem requiritur *frequens relapſus poſt plu-*
„ *res Confeſſiones* .... Requiritur deinde relapſus in eadem ſpe-
„ cie peccata, quae antea poenitens confeſſus fuerat, nec ſuf-
„ ficit relapſus in nova, ac diverſa peccata; nam, ut opti-
„ me notat Carena *part.2. tit.2.* §.5., verbum *Recidivus*, ſeu
„ lapſus, conſiderando particulam *RE*, videtur referri ad
„ actum reiteratum ejuſdem ſpeciei: ex *L. Verbum de Verb.*
„ *ſignif.* Accedit ex novis, ac diverſis peccatis non reſultare
„ in Confeſſario judicium prudens de eo, quod poenitenti de-
„ fuerit verus dolor, ac propoſitum in priore Confeſſione, ut
„ bene advertit *La Croix* „.

II. Haec *Recidivi* notio, ut obiter dicam, nova eſt, & inauditum commentum Sacramento Poenitentiae manifeſte adverſum. Sacramentum enim Poenitentiae omnia, non unius ſpeciei peccata delet. Poenitens ergo de omnibus culpis conteri, & univerſale propoſitum habere abſtinendi ab omnibus mortiferis peccatis debet. Contrarium ſi aſſeratur, error eſt ab univerſa Eccleſia damnatus. Dolere itaque poenitentes de quacumque gravi culpa, & firmum concipere conſilium abſtinendi ab omnibus, & ſingulis flagitiis lethalibus aſtringuntur. In quaecumque igitur gravia crimina relabantur Chriſtiani; non minus recidivi ſunt hi, qui diverſae, ac illi, qui ejuſdem ſpeciei flagitia frequenter perpetrant. Quid? Confitetur poenitens in hac Confeſſione decem fornicationes: in altera quindecim adulteria: in altera octo furta: in altera viginti

per-

Digitized by Google

perjuria : in altera triginta blaſphemias : in altera totidem calumnias : in altera viginti injuſtitias, & damna proximo illata. Poenitentes iſti non ſunt recidivi, quia non relabuntur in eadem ſpecie peccata ? Atque adeo toties quoties ſunt abſolvendi, quia particula *RE* refertur ad actionem iteratam ejuſdem ſpeciei ? S. Paulus non adhibet particulam *RE*, ſed inquit, *prolapſi ſunt*. Ergo particula *RE* eſt purum, putumque commentum vanum. Inſiſtit noviſſimus Author : „ *Ex novis, &* „ *diverſis peccatis non reſultare in Confeſſario judicium pru-* „ *dens de eo, quod poenitenti defuerit verus dolor in priore con-* „ *feſſione, ut bene advertit La Croix.* Ratio eſt, quia ex relapſu „ frequenti in idem ſpecie peccatum infertur quaedam ad- „ haeſio voluntatis ad illud determinate peccatum, unde fit „ locus ſuſpicioni, & aliquando etiam judicio, niſi contra- „ rium aliunde colligatur, quod occulta aliqua peccati appro- „ batio comitata fuerit, vel comitetur priorem, vel prae- „ ſentem ejus peccati deteſtationem, atque idcirco haec fue- „ rit, vel ſit reſpective inſufficiens, & inefficax ad ſalutarem „ poenitentiam. Secus contingit reſpectu *Relapſus etiam fre-* „ *quentis* in novum, ac diverſum peccatum : ex eo quippe „ non infertur *ulla adhaeſio voluntatis ad unum determinate* „ *peccatum*, ſed ſola infertur voluntatis inconſtantia in bo- „ no propoſito.

III. Quamvis ergo Chriſtiani poſt plures Confeſſiones relabantur *etiam frequenter* in nova, & diverſae ſpeciei peccata, nihil obſtat, quominus abſolvi toties qnoties valeant ? Quidni reponit Author, quia heinc *non infertur ulla adhaeſio voluntatis ad unum determinate peccatum*. At, ſi Sacramentum Poenitentiae abolet omnia peccata mortalia, poenitentes Sacramentum ſuſcipientes, ut diximus, habere firmam deliberationem debent vitandi omnia peccata gravia, non tantum declinandi *unum determinate peccatum*. Ambabus ulnis hanc doctrinam ſuſcipient peccatores. Siquidem aeedem continuae epulae faſtidium pariunt, & ſaturitatem. Libentiſſime mutabunt peccatorum ſpeciem, & reipſa novos in dies excogitant

pec-

peccandi modos, qui flagitiorum ſpecies mutant. Reponit Auctor, aſtringi utique poenitentes omnia deteſtari peccata gràvia, ſed ex relapſu *etiam frequenti* non inferri affectum, ſeu *adhaeſionem ad unum determinate peccatum, ſed ſola infertur voluntatis inconſtantia in bono propoſito*. Quum gratia Sacramentalis vires efficaciſſimas praebeat ad evitandam quamlibet gravem Dei offenſam, ergo inconſtans utique eſt natura ſua humana voluntas: Dei enim gratia non verſatili, non ductili, ſed efficaciſſima, & triumphatrici ornata, & roborata, omnia & quaecumque gravia ſcelera deteſtatur, & reipſa *a frequenti relapſu* abſtinet, & praeciſa aliqua inſolita, & inopinata tentaſione, vel occaſione, conſtantiſſime omnia mortifera crimina devitat. Inſiſtit Auctor, ſuam doctrinam propugnare La Croix, Platellium, Ulloam, & alios ſimiles. Eſto. Quid inde? ſi Authores iſti a Scripturis divinis, & a doctrina omnium ss. Patrum recedunt, ut mox patefaciam?

IV. Tandem ultimam conditionem explicat *pag.* 10. Author noſter, quae conſtituit peccatorem recidivum his verbis. *Poſtremo requiritur defectus omnis etiam INCHOATAE emendationis, nam ex tali defectu DUBITANT Theologi, utrum Recidivus abſolvendus ſit nec ne*. Quinam, amabo te, hi Theologi, qui *dubitant*, utrum abſolvendi *nec ne* recidivi ſint, qui nec *inchoatae emendationis* ſigna perhibent? Sunt plures Probabiliſtae mollioris Ethices patroni. Nam ſi dubitant, juxta principia Probabiliſmi non tutior, ſed benignior, & favorabilior poenitentibus pars eligenda erit; atque adeo abſolvendi, tametſi nullum vel *inchoatae emendationis* argumentum perhibeant. An vero tale commentum communis Chriſtianorum ſenſus perhorreſcat, judicent Sapientes.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Doctrina citatae Diſſertationis adverſa eſt Scripturae ſacrae, & Concilii Tridentini decretis.

ADverſam ſacrae Scripturae doctrinam deſignat s. Cyprianus *lib. de lapſis* hiſce verbis: *Emerſit, Fratres chariſſimi, novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſaevierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiae titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem: contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita, & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quaerunt ſanitatis poenitentiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Poenitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi, extremique delicti memoria ſublata eſt, operiuntur morientium vulnera, & plaga laethalis altis, & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore, contegitur.*

II. Jam vero citatae Diſſertationis ipſamet verba proferamus, ut cognoſcatur, an ea ſit, quam Cyprianus aſſerit, *contra Evangelii vigorem pugnare. Pag.* 10. ſcribit. *Ceterum ſi Recidivus conatum ALIQUEM adhibuerit ad emendationem, ſi peccatorum numerum imminuerit, tunc rationabile adeſſe fundamentum putant COMMUNITER Theologi de eo, quod ille ſit hic, & nunc rite diſpoſitus, & capax abſolutionis.* Haec eſt illius perpetua doctrina, quam pluries in hac ſua Diſſertatione repetit. Nam *pag.* 12. *Adeoque aliqualiter emendetur.* Iterum *pag.* 13. *Non eſt autem praeſumptio in contrarium, quando conſtat ex ALIQUA praevia emandatione, ex ALIQUO conatu ad novam vitam.* Rurſus *pag.* 27. repetit *non eſſe praeſumptionem in oppoſitum, quando ALIQUAM attulerit vitae emendationem, vel conatum ALIQUEM ad emendationem adhibuerit. Iterum pag.* 30. inclamat. *Notes proinde Recidivos poſſe TOTIES, QUOTIES abſolvi, quando actu vere*

Digitized by Google

vere dolent, ac proponunt. Id Confeſſario innoteſcit ex ALIQVO ad emendationem conatu, qualis certe eſt reditus ad Confeſſionem ex Confeſſarii praeſcripto. Denuo *pag.*33. ſcribit: *Sufficere, ut ALIQVAM induſtriam adhibuerit in emendationem vitae, & actu vere doleat, ac proponat emendationem.* Tandem *pag.*34. concludit. *Idque ei conſtet ex ALIQVA ipſius poenitentis emendatione.*

III. Nonne viri docti iſtius Authoris commenta cum ſanctarum Scripturarum doctrina, quam ſupra exhibui, pugnare intelligunt? Quandoquidem Scripturae ſanctae ad veram, & non fictam converſionem exigunt *totum conatum, omnem fortitudinem, univerſam tribulationem, vehementem niſum, & plenam induſtriam, maximam vim, totumque ſtudium.* Poſtulant Scripturae ſanctae, ut peccatores *quaſi urſi* rugiant, & fremant adverſus ſcelera, gemantque *ut columbae,* & veluti parturientes enitantur emittere iniquitatis abortus, atque univerſas vires exerant, ut arripere arctam virtutum viam, & ingredi anguſtam portam queant: poſtulant jejunia, cilicia, fletus, & ululatus: poſtulant, ut tota mente, toto corde, totis viribus ſtudeant, ſatagant, atque contendant offenſo Deo reconciliari. Haec eſt germana doctrina, quam Deus ipſe nobis revelavit.

IV. Contra Author noviſſimus cum ſuis Caſuiſtis pro recidivi conſuetudinarii emendatione exigit dumtaxat, non totum, ſed *aliquem* conatum: non totam, ſed *aliquam* induſtriam, non univerſam, ſed *aliquam* fortitudinem, non totum, ſed *aliquod* ſtudium, ut judicare Confeſſarius queat, peccatores recidivos frequenter, poſt plures Confeſſiones, eadem flagitia, & ſcelera iterantes, eſſe recte diſpoſitos, & abſolutione ſacramentali dignos. Conferant nunc ſapientes viri haec nova commenta cum teſtimoniis, quae ex Scripturis ſanctis ſupra in apricum produxi, & utraque ſerio expendant, atque judicent; num haec interpretamenta pugnent cum divinis Scripturis non minus, quam tenebrae cum luce, quam Chriſtus cum Belial, ſintque prorſus abſurdiſſima. Nolo enim ego tribu-

Digitized by Google

nal erigere, & judex ſedere, ne de more obmurmurent, quisnam me aliarum opinionum cenſorem conſtituerit? Illud ego addam. Si Scripturae ſanctae indiſcriminatim de quibuslibet peccatoribus loquentes, praeſcribunt, ut toto corde, toto ſtudio, tota fortitudine, totis viribus conentur, & enitantur ſe ſe ad Deum convertere: quanto magis id locum habet in peccatoribus *Recidivis*, *& conſuetudinariis*? Iſti enim *poſt plures confeſſiones frequenter* in eadem ſcelera prolabentes impotentem contrahunt inclinationem, & effroenatum erga ejuſmodi flagitia amorem, pravumque affectum: contrahunt peccandi conſuetudinem, cujus graviſſimo pondere gravati, & oppreſſi extremam emendationis difficultatem experiuntur. Ergo iſti potiſſimum non *aliquem*, ſed vehementem conatum: non *aliquam*, ſed ſummam induſtriam: non *aliquod* ſed ſupremum adhibere ſtudium; & univerſis viribus ſatagere debent, ut e vitiorum coeno reſurgant. Iſti praecipue precibus, jejuniis, abſtinentiis, ciliciis, & amaris gemitibus opus habent. Cedo. In quo negotio tractando totam impendere curam Chriſtiani debent, ſi, ut praeſtantiſſimum juſtificationis donum aſſequantur, ſat eſt illos *aliquam adhibere induſtriam*? Qui dignitates ambiunt, qui divitias congregant, qui puellarum amore flagrant, quae incommoda non ſuſtinent, quam diligentiam praetermittunt, quas vigilias, quos labores non perferunt? Qui inter undarum fluctus, & tempeſtatum procellas, extremum ſuſtinent naufragandi periculum, concuſſa navi, omnia projiciunt, etſi ingentes poſſideant theſauros, & nudi tabulam arripiunt, totiſque viribus aſſequi portum conantur. Qui vero flagitiorum ſarcinis onuſti ſuper abyſſi latere aeternum perituri obambulant, ut perpetuae damnationis naufragium declinent, & immenſae felicitatis regnum, Deumque ipſum ſibi comparent, opus minime habent, ut totas exerant vires, ut ultima exequantur conamina, & totis artubus eluctari ſtudeant: ſed ſat eſt, ut *aliquam* induſtriam adhibeant, ut *aliquem* exerceant conatum? Oh novum, inauditumque Theologiae genus! Quid exclamationibus rem peragis? At quandonam opor-

por-

Digitized by Google

portunius vocem extollimus, quam cum Fratres noſtri laxioris ethices praeſtigiis obcoecati excitandi ſunt, & urgendi, ne dulcis ſoporis veneno capti aeterna patiantur tormenta?

V. Verum quia non exclamationes, ſed argumenta cupis, dicas velim, unde colligis, Recidivos diſpoſitos eſſe, dignosque abſolutione Sacramentali? Ex teſtimonio recidivorum, qui id teſtantur, reponit *pag.*13. his verbis: *Nam Confeſſarius poteſt id prudenter judicare ex eo, quod poenitens, non praeciſe ore proferat, ut olim dicebat propoſitio 60. inter proſcriptas ab Innocentio XI, ſed ex animo affirmet, ſe dolere, ac proponere, nec ſit praeſumptio in contrarium, quae affirmationem elidat .... Non eſt autem praeſumptio in contrarium, quando conſtat ex aliqua praevia emendatione, ex ALIQVO conatu ad novam vitam.* Ut a primis verbis incipiam, unde ſcis Recidivos frequenter poſt plures Confeſſiones ſcelera iterantes *ex animo dolere*? Non ex fructibus: quoniam iſti venefici ſunt, & mortiferi. Unde ergo? Non profecto aliunde, quam ex ore Recidivorum? Numquid dolorem ſupernaturalem in animo latitantem deprehendis? Numquid opinionis damnatae Authores dolorem in ore requirebant, & deliberationem peccandi in corde probabant? Quis Theologorum adeo deliravit? Colligebant damnatae theſis Authores ex corde Recidivos dolere, quia id teſtabantur ore. Ergo damnatam in praefata theſi doctrinam propugnas, Diſſertationis citatae Author, qui non aliunde, niſi ex ore recidivorum inferre internum dolorem vales. Nec doctrinae proſcriptionem declinas, propterea quod addas: *Nec ſit praeſumptio in contrarium, quae ejus affirmationem elidat*. Nam praeſumptio in contrarium ſunt frequentes relapſus poſt plures confeſſiones; & quidem in ejuſdem ſpeciei delicta. Hi enim ſunt Recidivi, de quibus ſane loqueris. At requiri, ais, aliquam praeviam emendationem, aliquem conatum ad novam vitam. Quaenam haec aliqua praevia emendatio, quinam hic aliquis conatus? Reſpondes *pag.*10. *Si numerum peccatorum imminuerit, tunc rationabile adeſſe fundamentum putant communiter Theologi de eo, quod ille ſit hic, & nunc rite*

Digitized by Google

diſpoſitus, *& capax abſolutionis*. At hoc minime habendum ſincerae emendationis argumentum. Recidivi in priori Confeſſione patrarunt quinquaginta fornicationes: in altera quadraginta: in altera viginti: in altera quindecim; in altera decem: in altera quatuor, in altera ſexdecim, in altera ſexaginta. Et in hoc luto perpetuo volutantur. Frequentiſſime Recidivi peccata imminuunt, aut quia laſſati ſunt in via iniquitatis, aut quia occaſiones peccandi deficiunt, aut quia calice proſtitutionis ebrii, & malitiae epulis ſaginati, ex uno peccandi genere ad aliud peccandi genus cum aetatis mutatione tranſgrediuntur. Et iſti digni ex tua ſententia ſunt abſolutione. Nullus ferme Chriſtianorum ad Poenitentiae Tribunal accedit, qui aliquod emendationis ſignum non praeferat. Neminem enim latet neceſſitas tum doloris, tum propoſiti abſtinendi a peccatis. Ergo ſi conſiſteret citatae Diſſertationis doctrina, peccatores omnes Tribunal Poenitentiae adeuntes abſolvendi eſſent. Et quid ni? reponis infra *pag.* 30. inquiens: *Notes proinde recidivos poſse TOTIES QUOTIES abſolvi, quando actu vere dolent, ac proponunt. Id Confeſsario innoteſcit ex aliquo ad emendationem conatu, QUALIS CERTE eſt reditus ad confeſſionem ex praeſcripto Confeſſarii, ac propterea iidem ſpem faciunt futurae tandem ſtabilis emendationis*. Aliquem dicis conatus requiri ad emendationem in recidivo conſuetudinario. Quiſnam conatus iſte? Reditus ad Confeſſionem ex praeſcripto Confeſſarii. Certum iſtud converſionis ſignum eſt; & quidem tuo judicio non dubium, non fallax, ſed certum, iterum dico, emendationis doloris, & propoſiti abſtinendi a peccatis argumentum. *Qualis certe eſt* (inquis) *reditus ad confeſſionem ex praeſcripto Confeſſarii*. Singulis ergo hebdomadibus redibunt fornicatores, adulteri, avari, amaſiunculi, & amaſiunculae ad confeſſionem, dummodo toties quoties a ſuis adulteriis, fornicationibus, uſuris, pompis, ac faſtu abſolutionem obtineant. Quinam dulcior, blandiorque conatus, quam reditus ad Confeſſionem? Quaenam ſuavior poenitentia, quam pandere miſericordi Confeſ-

feſſario ſua flagitia, ad illius aures ſuſpiria emittere, aliqua tunſiuncula pectus percutere, & fervida exhortatione animari ad ſpem propriae ſalutis, & ad ſacram Euchariſtiae menſam, abſolutione praemiſſa, accedere? Subdis deinde: Et qui redeunt, *ſpem faciunt futurae tandem ſtabilis converſionis*. Stabilis ergo ſit, oportet, converſio? Qua itaque juſtitia accuſantur Merbeſius, Gennetus, Juvenin, & ceteri, qui luculentiſſimis Scripturarum ſanctarum teſtimoniis evincunt, converſionem, & juſtificationem ſtabilem oportere, & conſtantem eſſe? Diverſa ne eſt ultima juſtificatio a praecedentibus? Si ſtabilis eſſe debet vigeſima juſtificatio, cur non prima, cur non ſecunda, cur non ceterae? Qui a veritate aberrant, antilogiis ſemetipſos conficiunt.

VI. Quaero tandem, cur in univerſa hac Diſſertatione nec unicum Scripturae ſanctae teſtimonium alleget Author noſter, quo ſuam de *Recidivorum* juſtificatione doctrinam confirmet? Divinae juſtificationis dotes, & ſincerae converſionis regulas Deus ipſe in Evangeliis praeſcribit; at iſtae omnes alto obvolvuntur ſilentio. Ita negotium poſtulabat. Scripturae ſanctae pro peccatorum converſione, atque juſtificatione exigunt amaros gemitus, carnis cruciſixiones, appetituum compreſſionem, ſevera jejunia, juges preces, pomparum, & luxus contemptionem, labores, vigilias, cilicia, & alia plura. Quare e re ſua erat, omnia iſta ſilentio premere, cum talia ille minime praeſcribat. Ut vero fucum lectoribus faciat, in medium producit Caſuiſtas Probabiliſtas, nempe *Laymanum*, *Sancheſium*, *Platelium*, *Gobbatum*, *Lacroixium*, *Felicem Poteſtatem*, *Alphonſum Manrique*, *Lopezium*, alioſque, qui plus, minuſve propoſitionibus damnatis, aut damnandis ſcatent. De iſtis vero *pag.* 11, aliiſque, clamat: *Qui bene callebant Scripturas, & Patres*. Quot Scripturas, aut Patres, quaeſo te, citant in hoc argumento de Recidivis abſolvendis *Sanchez*, *Layman*, *Platelius*, *Gobat*, *Lacroixius*, *Manrique*, *Lopez*, *Poteſtas*, aliique Probabiliſtae? Fuerint, per me licet, in Scripturis verſati; ad hoc tamen, quod attinet, argu-

men-

mentum, ſcripturas penitus ignorarunt, ut ex teſtimoniis adductis palam eſt. Cedo. Praefati Authores allegant ne divinas Scripturas, ut ſuam confirment doctrinam? Nec unicum teſtimonium producunt. Quo ergo fundamento aſſeritur, illos bene calluiſſe Scripturas? Sed, quantum iſta doctrina Tridentinae Synodi decretis, ejuſque interpreti integerrimo Cardinali Bellarmino adverſa ſit, videamus.

VII. Concilium Tridentinum *ſeſſ.14. cap. 2.* haec definit. *Alius eſt praeterea Baptiſmi, alius Poenitentiae fructus. Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Paenitentiae ſine MAGNIS NOSTRIS FLETIBUS, & LABORIBUS, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus: ut merito poenitentia laborioſus quidam Baptiſmus a SS. Patribus dictus fuerit.*

VIII. Haec eſt doctrina Eccleſiae Catholicae in Concilio Tridentino congregatae. Haec autem Eccleſia certiores nos facit, peccatores praeſertim Recidivos frequentium relapſuum vulneribus ſauciatos ad vitae integritatem, & novitatem pervenire nequaquam poſſe, ſine *magnis fletibus*, *magniſque laboribus*, quibus ſe praeparare, & diſponere ad juſtificationis donum adſtringuntur. Addit enim hunc eſſe ordinem a divina juſtitia praeſcriptum: *Divina id exigente juſtitia*. Denique Poenitentiae Sacramentum laborioſum quendam baptiſmum appellat: *Ut merito poenitentia laborioſus quidam baptiſmus a SS. Patribus dictus fuerit*. Cur Sancti Eccleſiae Patres laborioſum baptiſmum appellant? Quia, ut poenitentes juſtificentur, praemittere gemitus, preces, jejunia, operaque laborioſa debent, ut infra patefaciam.

IX. Nunc mihi ſatis ſit, tranſcribere interpretationem piiſſimi, & doctiſſimi Cardinalis Bellarmini, qui *Conc.8. Dom.4. Adv.* haec ſcribit. „ Duo Baptiſmata Deus inſtituit, unum „ aquae frigidae.... alterum aquae ferventis. Percipite, „ quaeſo, rem iſtam. Hoc enim eſt caput praecipuum totius „ con-

Digitized by Google

,, controverſiae inter Catholicos, & Lutheranos. Priori ba-
,, ptizantur, qui veniunt ex infidelitate: poſteriori, qui poſt
,, baptiſmum lapſi ſunt: hoc eſt Sacramentum poenitentiae.
,, Auditores, baptiſmus eſt laborioſus, baptiſmus lacryma-
,, rum, balneum aquae ferventis, quod requirit gemitus, con-
,, tritionem, lamentationes, fructus dignos poenitentiae, pre-
,, ces, jejunia, eleemoſinas, & alia id genus opera, *prout Ec-*
,, *cleſia catholica tenet*, *& ſemper Patres docuerunt*... Qua re,
,, Auditores optimi, ſi *bonam*, ſi *utilem*, ſi *ſalutarem* confeſſio-
,, nem facere vultis, ſi vere cum Deo in gratiam redire....
,, balneum iſtud calidum magno animo ingredi debetis, & *pri-*
,, *mum diu*, *& multum* in amaritudine animae peccata ablue-
,, re, tum Sacerdotem probum, & eruditum adire.,,

IV. Qui haec docet non eſt Merbeſius, non Genettus, non Juvenin, neque alii *ejuſdem ſcholae*, ut inquit Author Diſſertationis *pag.* 11, ſed eſt Cardinalis *Bellarminus*, qui teſtatur, hanc eſſe doctrinam Eccleſiae catholicae. Ergo doctrina citatae Diſſertationis, in qua ſtatuitur reditum ad Confeſſionem ex praeſcripto Confeſſarii eſſe certum indicium, quod recidivi conſuetudinarii, poſt frequentes relapſus ſint recte diſpoſiti ad Sacramentum poenitentiae, adverſatur, teſte Bellarmino, *doctrinae Eccleſiae*. Altum in univerſa diſſertatione ſilentium jejuniorum, lacrymarum, gemituum, eleemoſynarum, aliorumque operum, quae Eccleſia catholica, teſte Bellarmino, communiter, aliquo caſu praeciſo, poſtulat pro ſufficienti diſpoſitione, praeſertim Recidivorum frequenter relapſorum, ad Sacramentum Poenitentiae. Neque vitilitiges, Bellarminum loqui de operibus ſatisfactoriis, quia perſpicue ſermonem hahabet de operibus praepatatoriis, ut legenti conſtare poteſt. Ait enim: *Balneum iſtud calidum magno animo ingredi debetis, & PRIMUM diu, & MULTUM in amaritudinae animae peccata abulere, TUM Sacerdotem probum, & eruditum adire.*

V. Doctiſſimus Cardinalis Aguirius *Diſsert.* 8. *in can.* 11, *&* 12. *Concil. Tolet. III. excur.* 2. laudat, commendatque Bel-

lar-

Digitized by Google

larmini doctrinam ex Patribus, Conciliis, & Canonibus hauſtam, additque: „ Dicimus maxime oportere, ut gravium „ peccatorum rei *praeſertim relapſi* antequam confiteantur, „ vel ut minimum antequam abſolvantur, praemittant aliquanto tempore juxta numerum, & gravitatem ſcelerum „ fructus dignos poenitentiae exterioris, interiorisque . . . . „ Licet enim Deus potentia abſoluta poſſit hominem gravium „ ſcelerum reum ſubito ad ingentem contritionem movere, „ efficaciter, & perfecte ad ſe convertere: nihilominus juxta „ curſum ordinarium ea inſignia, & praeſtantiſſima dona non „ largitur *ſubito*, *ſed gradatim*, ac media impetratione facta „ per opera poenalia in oratione, eleemoſyna, jejunio, & „ fletu, & planctu, aliiſque mortificationibus corporis, & „ animae. „

VI. Rurſus excurſu primo *num.* 138 clamat contra Benigniſtas. „ *Noſtro autem aevo* (*o tempora, o mores!*) *multi* „ *non modo in aliquod grave crimen, ſed in varia, aut plurima* „ *lapſi, vix jejunio aliquo, auſteritate, fletu, aut planctu prae-* „ *miſſo, accedentes ad confitendum, ſtatim abſolvi volunt, &* „ *mitti ad communionem. Quod ſi Sacerdos pius, doctus, &* „ *verſatus in diſciplina Eccleſiaſtica, ac ſacris Canonibus, illos* „ *hortetur ad jejunandum, plangendum, & orandum, non dico* „ *integris annis, non menſibus, ſed aliquot hebdomadis, aut ſaltem diebus*, antequam abſolvantur, ut veram contritionem, „ & totius cordis converſionem impetrent, qua Deum graviſſime offenſum ſibi concilient, ſeque ad veniam diſponant, „ videbis illos impatienter omnino id ferre, & vociferari adverſus Sacerdotes ejuſmodi, eoſque incuſare velut *crudeles*, „ *& carnifices conſcientiarum*. Hoc novo injuſtiſſimae accuſationis, & criminationis ſcelere longe iniquiores effecti „ adeunt *quempiam alium Sacerdotem ignarum, remiſſum, &* „ *palponem, aut nullius zeli circa diſciplinam Eccleſiaſticam*, „ & abſque ulla contritione de novo ſcelere commiſſo, ac de „ aliis praecedentibus, levi ſatisfactione impoſita, ſtatim aſſequuntur, aut extorquent ab eo properam abſolutionem,

„ & in-

„ & intempeſtivam communionem: utramque ingenti dantis,
„ & accipientis damno. „

VII. Haec ſerio meditentur juniores, & mollioris ethicee patroni, quos non pudet, doctrinam Tridentini, ſeu Eccleſiae catholicae a Theologis explicatam novitatis, & nimii rigoris poſtulare. Audiant denuo Tridentinum *ſeſs. 6. cap.* 13., ubi vel ipſos juſtos ſincera poenitentia ad Deum converſos monet, non poſſe in mandatorum obſervantia perſeverare, *niſi cum timore, & tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & caſtitate: formidare enim debent, ſcientes quod in ſpem gloriae, & nondum in gloriam renati ſunt de pugna, quae ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſse non poſsunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti:* „ Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus: „ ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem „ ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis „. Ergo ſi juſti divina gratia, & caeleſtium donorum copia ornati, roboratique, vigiliis, & precibus, eleemoſynis, jejuniis, aliiſque piis operibus ſedulam navare operam debent, ut juſtificationis theſaurum cuſtodiant adverſus hoſtes, mundum nempe, carnem, & daemonem, qui ceu leones rugientes continenter fremunt, & furunt quaerentes eoſdem devorare: quiſque hinc colligat, an peccatores, & quidem recidivi conſuetudinarii poſt plures Confeſſiones frequenter relapſi, atque prava delinquendi conſuetudine irretiti reſurgere ad vitam caeleſtem, & divinum amicitiae foedus, poſt tot perfidas rebelliones, ſine vehementi conatu, & abſque jejuniis, precibus, eleemoſynis, fletibus, & laboribus valeant. Judicent ſapientes, utrum nova Caſuiſtarum commenta in laudata Diſſertatione collecta recte adverſentur Eccleſiae catholicae doctrinae.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

Quibuſdam Apoſtolorum exemplis, & doctrina ss. Patrum oſtenditur, peccatores maxime recidivos conſuetudinarios debere operibus laborioſis ad juſtificationem ſe ſe diſponere, & praeparare.

TErrorem incutit poenitentiae ſeveritas, cui ipſe Apoſtolus Paulus ſubjecit Corinthium inceſtuoſum, ut 1. *Cor. cap.*5. deſcribitur: *Ego quidem abſens corpore, praeſens autem ſpiritu, jam judicavi .... tradere hujuſmodi ſatanae in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini*. Redarguit Corinthios, quod tamdiu hominem hunc toleraſſent, quia, inquit, *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Tanto vero dolore correptus fuit peccator ille, & tanta triſtitia preſſus, ut periculum immineret, ne nimio dolore periret. Ideo poſt plures menſes legitimum poenitentiae tempus illi contrahere opportunum duxit Apoſtolus, dignumque declaravit, ut Eccleſia eumdem exciperet propter doloris acerbitatem, *ne forte*, (ſubdit 2. Cor. cap.2.) *abundantiori triſtitia abſorbeatur*. S. Joannes Evangeliſta juvenem latrociniis famoſum, non niſi poſt diuturnam, & laborioſam jejuniorum, & gemituum poenitentiam, & carnis macerationem Eccleſiae reſtituit, ut narrat Euſebius *lib.*2. *hiſt. cap.*18.

II. Hermas Author vetuſtiſſimus nempe primi Eccleſiae ſaeculi converſionem peccatorum, non brevi tempore, ſed diuturnis conflictationibus, & amaris lacrymis peragi *lib.* 3. *ſimilit.*7. docet. *Ego ſcio* (inquit Author) *totis praecordiis eos agere poenitentiam, non proinde continuo, ſed oportet eum, qui agit poenitentiam, affligere animam ſuam, & humilem animo ſe praeſtare in omni negotio, & vexationes multas, variaſque perferre, cumque perpeſſus fuerit omnia, quae illi inſtituta fuerint, tunc forſitan, qui eum creavit, & qui formavit univerſa, commovebitur erga eum clementia ſua, & aliquod remedium dabit*;

Digitized by Google

bit; atque ita ſi viderit ejus, qui poenitentiam agit, cor purum eſse ab omni opere nequiſſimo.

III. Tertullianus *lib. de poenit. cap.* 8. *&* 9. non modo internum animi dolorem pro peccatorum converſione, ſed corporis mortificationem, ceu diſpoſitionem communiter neceſſariam poſtulat, adducta filii prodigi parabola, inquiens: *Hujus poenitentiae ſecundae, & unius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia praeferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis eſt diſciplina: converſationem injungens miſericordiae illicem. De ipſo quoque habitu, & victu mandat ſacco, & cinere incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum moeroribus dejicere, illa, quae peccavit, triſti tractatione mutare.... Jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire, noctes, dieſque ad Dominum Deum ſuum, Preſbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuae jungere.* Ut vero altius peccantium animis haec imprimeret, ob oculos refert incommoda, moleſtias, vigilias, anguſtias, quae ſuſtinent homines, ut ambitioni, & ſuperbiae capeſſendi Magiſtratus, gradus, & dignitates morem gerant: *Sed enim illos* (pergit Tertullianus) *qui ambitus obeunt capeſsendi Magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis & animae, & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in cauſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium non affectant? Quae non atria nocturnis, & crudis ſalutationibus occupant? Ad omnem occurſum cujuſque majoris perſonae decreſcentes, nullis conviviis celebres, nullis commeſsationibus congreges, ſed exules a libertatis, & laetitiae felicitate: idque totum propter unius anni volaticum gaudium: nos quod ſecurium, virgarumque petitio ſuſtinet, in periculo aeternitatis dubitamus? Et caſtigationem vultus, atque cultus, offenſo Domino, praeſtare ceſsabimus, quae gentiles, nemine omnino laeſo, ſibi irrogant?* Hanc Tertulliani argumentationem infra urgebo adverſus matronulas comptas, barbatulos, & politulos aetatis noſtrae, qui noctes ducunt in-

ſomnes, ut ludis, theatris, & colloquiis cum ſuis amaſiunculis continuam dent operam.

IV. S. Cyprianus *lib. de lapſis* fuſo ſermone eadem docet atque in palpones ſuae aetatis invehitur. *Putas facile eum miſereri tui*, inquit, *quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſius, & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere: tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare: ſtratum ſolo adhaerere cineri: in cilicio, & ſordibus volutari: poſt indumentum Chriſti perditum, nullum jam hic velle veſtitum: poſt diaboli cibum malle jejunium, juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemoſynis frequenter inſiſtere*. Et poſt plura, jacula fervoris ſui in confeſſarios aequo benigniores vibrat his verbis: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit, ſimul atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem.* Quos diligo, *inquit Dominus*, redarguo, & caſtigo. *Sic oportet Dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum, dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur aeger impatiens per dolorem: gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem*. Rurſus poſt multa, eos reprehendit, qui abſolutionem abſque praevia luctuum, jejuniorum, & eleemoſynarum praeparatione impendunt: *Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum.... Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis, qui flere jugiter, & rogare Dominum ſuum debent, intercepta poenitentiae lamentatione communicare ſe ſimulant?...... Perſecutio eſt haec alia, & alia tentatio,*

per

Digitized by Google

per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur pectorum gemitus, ſiſtatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longa, & plena poenitentia deprecetur. Nec iſti lapſi abſque contritionis, converſionis indiciis reconciliationem, & abſolutionem poſtulabant, immo Martyrum litteris muniti indulgentiam deprecabantur. Nihilominus s. Cyprianus luculentiora ſincerae converſionis argumenta exigebat. Quare ſub libri finem iterum inclamat: *Convertamur ad Dominum mente tota, & poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes Dei miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima proſternet, illi moeſtitia ſatisfaciat, illi ſpes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus dicit ipſe: Revertimini ad me ex toto corde veſtro, ſimulque & jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra. Ad Dominum toto corde redeamus. Iram, & offenſam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus.* Recogitent haec illi, qui fornicariis, adulteris, amatorculis vel ipſa jejunia quadrageſimalia delinire, & Indicis potionibus blandire non erubeſcunt.

V. Eamdem animi praeparationem exigunt ceteri Patres. S. Joannes Chryſoſtomus *hom. 4. in 2. epiſt. ad Cor.* exemplo Davidis urget peccatores ad poenitentiam. *Peccatum alio modo abſterſit, nempe per humilitatem, per cordis contritionem, per animae compunctionem... Cum peccaveris, ingemiſce, non quod poenas daturus ſis, nihil enim hoc eſt, ſed quod Dominum* (arrigant aures attritionarii) *tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique ſaluti tuae appenſum, ut filium quoque ſuum cauſa tua tradiderit; ingemiſce igitur, nec unquam hoc facere intermitte. Hoc enim eſt confeſſio. Nec nunc laetum, cras autem moeſtum, ac rurſum laetum te praebe. Verum perpetuo in luctu, ac tui contritione mane. Beati enim, inquit, qui lugent, hoc eſt, qui aſſidue hoc faciunt.*

VI. S. Ambroſius *lib. 2. de poenit. cap. 6.* ſimilem animi diſpoſitionem, & cordis praeparationem ad abſolutionem obtinen-

Digitized by Google

nendam exigit: & Davidis exemplum proponit: *Sed audiant, qui agunt poenitentiam, quomodo agere debeant, quo ſtudio, quo affectu, qua mentis intentione, qua cordis converſione. Vide, inquit, Domine, quia tribulor: venter meus tribulatus eſt a fletu meo, converſum eſt cor meum in me. Cognoviſti intentionem animi, fidem mentis cognoſce, & habitum corporis.* Et rurſus *cap.*10. haec addit: *Renuntiandum eſt ſaeculo, ſomno ipſi minus indulgendum, quam natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus orationibus: vivendum ita, ut vitali huic moriamur uſui, ſeipſum ſibi homo abneget, & totus mutetur.* Commentar. vero in pſalmum 118. ſequentia adiicit: *In ipſa Eccleſia, ubi maxime miſereri decet, teneri quam decet forma juſtitiae; ne quis a communionis conſortio abſtentus, brevi lacrymucula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem quamplurimis debet poſtulare temporibus facilitate Sacerdotis. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapſionis contagium provocari? Facilitas enim veniae incentivum tribuit delinquenti.* Ergo ſi Confeſſarius aetate noſtra videat aliquem leviter tundentem pectus, & fundentem *lacrymulam*, ex gehennae, & ardentis illius fornacis terrore expreſſam, tametſi adulteriis, & impudicitiis uſquequaque deformem, continuo ad Chriſti Sacramenta admittere caveat.

VII. S. Auguſtinus *ſermone* 7. *de tempore* haec ſcribit: *Poenitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei.* (meditentur haec attritionarii) *Quando ſic poenites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita; & quod prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemis ad Deum.* Sermone vero 34. *cap.*12. *de diverſis* haec habet. *Omnia ergo praeterita converſis dimittuntur: cetera autem hujus vitae ſunt quaedam gravia, & mortifera, quae, niſi per VEHEMENTISSIMAM moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis ſpiritus, & tribulationis poenitentiae non relaxantur. Haec dimittuntur per claves Eccleſiae. Si enim tu te coeperis judicare, ſi tibi coeperis diſplicere ..... Cum autem*

Digitized by Google

tem cœperit id facere, non continuo jam ſanus eſt, ſed diu obſervando, pervenit ad illam ſanitatem, quam minus temperando perdiderat. Hoc autem illi prodeſt, quod jam incipit obſervare, ne augeat aegritudinem, & ut non ſolum deterior non fiat, ſed etiam incipiat melius habere, qui paulatim fit ſanus .... Sic etiam juſte vivere in hac vita, quid aliud eſt, niſi audire praecepta legis, & facere? Numquid ergo quicumque faciunt praecepta legis jam ſani ſunt? Nondum, ſed ut ſani fiant, faciunt. Non deficiant faciendo, quia paulatim recipitur, quod ſemel amiſſum eſt. Si enim cito rediret homo ad priſtinam beatitudinem LUDUS illi eſſet, peccando cadere in mortem.

VIII. Ludum vocat, & quidem jure, & merito s. Auguſtinus converſionem illorum, qui nulla jejuniorum, lacrymarum, gemituum, eleemoſynarum, precum, & aliorum piorum operum praeparatione ad Dei Sacramenta accedunt. Immo monſtrum appellat illas Recidivorum voluntates, & propoſita, qui dum confitentur, jactant, & teſtantur, ſe non amplius peccaturos, & poſt plures Confeſſiones frequenter in flagitia eadem relabuntur. Ecce *lib.* 8. *Conf. cap.* 9. s. Auguſtini verba: *Unde hoc monſtrum? Et quare iſtud? Imperat animus corpori, & paret ſtatim: imperat animus ſibi, & reſiſtitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta eſt facilitas, ut vix a ſervitio diſcernatur imperium. Et animus, animus eſt; manus autem corpus eſt. Imperat animus, ut velit animus, nec aliter eſt, nec facit tamen. Unde hoc monſtrum? Et quare iſtud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret, niſi vellet: & non fit quod imperat. Sed non ex toto corde vult: ergo non ex toto imperat. Nam intantum imperat, in quantum vult: & intantum non fit, quod imperat, inquantum non vult.. Quoniam voluntas imperat, ut ſit voluntas, nec alia, ſed ipſa. Non utique plena imperat, ideo non eſt, quod imperat. Nam ſi plena eſſet; nec imperaret, ut eſſet, quia jam eſſet. Non igitur monſtrum parum velle, parum nolle?*

IX. Longus, & prope infinitus eſſem, ſi ceterorum Patrum, Juſtini Martyris, Baſilii, Nazianzeni, Paciani, Caeſarii Arelaten-

latenſis, Hieronymi, Gregorii Magni, Anſelmi, aliorumque teſtimonia recenſere vellem. Conflarem profecto immenſam ſylvam, quae nimiam ingereret lectoribus moleſtiam. Quare ſatis mihi ſit teſtari, omnes ad unum Patres, concordi & unanimi conſenſu poſtulare, ut peccatores, praeſertim recidivi conſuetudinarii frequenter poſt Sacramenta relabentes, ſe ſe jejuniis, precibus, gemitibus, humi cubationibus, eleemoſynis plus, & minus pro criminum diverſitate, excepto mortis articulo, ſe ſe praeparent ad Confeſſionem, & abſolutionem digne obtinendam. Quoniam, concludit s. Thomas Aquinas *lect. 1. in cap. 6. epiſtol. ad Hebraeos*: *Sicut in corporalibus nullus ſtatus eſt ita periculoſus, ſicut recidivantium: ita in ſpiritualibus, qui poſt gratiam cadit in peccatum, difficilius ſurgit ad bonum.* Et *in cap. 6. ad Rom.* ait: *Conſuetudo peccati quamdam neceſſitatem inducit ad peccandum*. Numquid *aliqua* induſtria ſola aufertur haec voluntaria neceſſitas ad peccandum?

CAPUT SEXTUM.

Sancti Eccleſiae Epiſcopi, Cardinales, & doctiſſimi Theologi aetati noſtrae propinquiores, eamdem, ac antiqui Patres doctrinam de lapſorum praeparatione ad Confeſſionem, & abſolutionem tradunt, & recentes mollioris ethices Caſuiſtas redarguunt.

NE fucum imperitis recentiores Caſuiſtae facere queant, opponentes antiquos Patres juxta ſuorum temporum ſeveram diſciplinam locutos fuiſſe, operae pretium exiſtimavi, in praeſentiarum producere doctrinam, quam ſancti Eccleſiae Epiſcopi, qui ſunt aetatis noſtrae Patres, de praeparatione lapſorum ad Confeſſionem tradunt. Et, ut ſophiſmata in anteceſſum diſpellam, diſtinguenda ſunt opera, quae *praeparatoria* dicuntur, & opera, quae vocantur *ſatisfactoria*. Ad opera ſatisfactoria, quod attinet, praeſens Eccleſiae diſciplina mitior eſt. Nam antiquitus praecedebat ſatisfactio ipſam abſolu-

lu-

Digitized by Google

lutionem; nunc vero antequam poenitentes impleant ſatisfactionem, ſeu poenitentiam, quam Confeſſarii imponunt, abſolvuntur, probante id Eccleſia contra quoſdam Novatores. At ſi loquamur de operibus *praeparatoriis*, dicendum eſt, quod, qui frequenter poſt plures Confeſſiones prolabuntur in ſcelera, ſpectato communi providentiae ordine, brevi horula non convertuntur, ſed diu luctari cum carne, ſanguine, diabolo, & mundo debent, ut vere, & plene reſipiſcant. Nec Confeſſarii adhibere illis fidem, niſi hoc praeſtent, nec judicare prudenter valent, quod ſint revera contriti, plenoque animo peccata deteſtentur, cum toties fidem datam fregerint, & in rebellionis crimen prolapſi ſint. Dolorem ergo, & propoſitum non peccandi, quod verbis oſtentant, jejuniorum, precum, eleemoſynarum, & gemituum executione, plus, & minus pro ſtatuum diverſitate, & praeciſo aliquo inſolito eventu, manifeſtare debent. Haec eſt doctrina non modo omnium veterum, ſed Patrum etiam recentium, & graviorum Theologorum, ſolis Caſuiſtis mollioris ethices patronis repugnantibus.

II. S. Thomas de Villanova *Conc. fer. 6. poſt 4. Dom. Quadrag.* „ Quidam, *ait*, ad modicum in quadrageſima peccata „ deſerunt, ſed peccandi propoſitum numquam dimittunt. „ Quidam cum peccatis etiam propoſitum non peccandi reliquiſſe ſibi videntur, ſed occaſiones delinquendi non fugiunt. „ Hi non ſuſcitantur, quia non omnino foras exeunt ... Cum „ Ninive Civitatis excidium per Prophetam Dominus comminaretur, jejunaverunt incolae, planxerunt, veſtiti ſunt „ ſaccis, in cinere ſederunt, cum lacrymis clamaverunt. Sed „ quid ait Scriptura? *Et vidit Deus opera eorum, quod converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitiam, quam loquutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Non ait, „ vidit gemitus, vidit lacrymas, vidit ſaccos, vidit cineres. „ Sed quid vidit? *Opera eorum, quod converſi ſunt a via ſua mala.* Si vitia non deſeruntur, fruſtra Dei miſericordia lacrymis imploratur. Fruſtra enim oculus plorat, ſi animus „ in crimine perſeverat. O peccator, ſi vere ploras, veni foras,

Digitized by Google

,, ras, fuge concupiſcentiam, dimitte laſciviam, expelle ,, mulierculam, ſolve catenam, alias non credo verbis, non ,, credo lacrymis... - Etiam ſi millies juraveris, etiam ſi ob- ,, teſtando promiſeris, nunquam tibi credam. Illum autem, ,, qui a Domino vivificatus deſiderio ſalutis a vitiorum ſepul- ,, cro foras egreditur, vos, o Sacerdotes, ſolvite, & ſinite ,, abire. Cavete ne cum in ſepulcro ſolvatis, prius exeat, ut ,, ſolvatur. Prius ergo vadat, & concubinam a domo pellat: ,, pecuniam alienam reſtituat: contractus uſurarios rumpat: ,, famam proximi, prout poteſt, reſarciat: mercenariorum la- ,, bores, & pauperum debita ſolvat: offenſo fratri reconcilie- ,, tur, & veniam petat: & tunc ad Confeſſarium redeat, & ,, abſolvatur. Hic rectus eſt ordo. Hic in Lazari ſuſcitatione ,, a Domino ſervatus eſt: hunc ordinem ne transgrediaris. O ,, Medice cur foetentem ſolvis? Cur indigno veniam promit- ,, tis? Cur, cui abſolutionis beneficium exhibeas, non diſcer- ,, nis? Duas tibi claves Dominus dedit, unam diſcernendi, ,, alteram judicandi: abſolvendi ſcilicet, & ligandi: & tu ſine ,, diſcretionis examine neminem ligas, omnes abſolvis: una ,, tantum clave, neque integra quidem uteris, ſed dimidiata. ,, *Heu, heu! ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. In domo* ,, *Dei horrendum vidi: Paſtores Domini ſui oves jugulantes:* ,, *medicos populi ſui aegrotos occidentes: judices turpibus blan-* ,, *dientes: cenſores flagitia palpantes: caecos gregem Domini* ,, *dirigentes. An non horrendum hoc? Hi ſunt Prophetae men-* ,, *daces*, in quos Dominus per Prophetam invehitur dicens: ,, *Eo quod deceperunt populum meum dicentes pax pax, & non* ,, *eſt pax &c.* O miſeri animarum non curatores, ſed interfe- ,, ctores; non conſultores, ſed deceptores: quid reſpondebi- ,, tis Domino pro grege, quem veſtris *blanditiis* decepiſtis? ,, veſtris conſiliis jugulaſtis? QUID ECCLESIAM DOMI- ,, NI HODIE PERDIT, NISI CONFESSARIORUM, ET ,, PASTORUM BLANDIENS ADULATIO, DELINIENS, ,, DEMULCENSQUE ASSENTATIO? Vae miſeris, non ,, aegritudinem, ſed contritionem, ac confeſſionem peccato-

rum

Digitized by Google

„ rum curant, quam augere debuiſſent, promittentes pacem, „ quibus non eſt pax, & veniam, quibus aeterna damnatio pa- „ rata eſt. Parvum eſt, inquiunt; nimirum humanum eſt pec- „ care: quis eſt homo, qui non peccat? Facilis eſt venia: ne „ triſteris, ne doleas: confeſſus es, abſolutus es: ſufficit ti- „ bi ad ſalutem: vive laetus, Domini Sacramenta ſuſcepiſti: „ ſine dubio ſalvaberis. Sic animas mortuas, & ſecuras a „ ſuis pedibus mittunt, tanto miſeriores, quanto ſecuriores. „ Vulnera liniunt, vermem conſcientiae extinguunt, ſtimu- „ lum peccati auferunt, & ſecuros peccatores ad inferna de- „ mittunt. Qui ſi timorem populo incuterent, forſitan illum „ a vitiis revocaſſent. *Cui comparabimus adulatores iſtos, aut* „ *cui aſſimilabimus eos?*

III. Haec eſt doctrina, quam ſanctiſſimus Archiepiſcopus, a Deo poſitus regere Eccleſiam ſuam, atque adeo praevalens mille Caſuiſtis, tradit populo ſuo. Si tam vehementer invectus eſt in plures ſui temporis Confeſſarios, quae zeli jacula non intorqueret & in Caſuiſtas non paucos, & in plures Confeſſarios aetatis noſtrae, qua viget laxior diſciplina, & lapſi, & relapſi, & quidem frequenter, ad Sacramenta admittuntur, non ſaccis induti, non cinere aſperſi, non jejuniis macerati; ſed vanis pompis onuſti, & luxum, faſtumque praeſeferentes? Iſte ne ſupplicis, & gementis habitus?

IV. S. Carolus Borromeus in concione Synodi Mediolanenſis ſecundi ſeveritatem antiquorum Canonum in mentem revocat, increpatque blandiloquos ſui tempori his verbis. „ Nec vero eſt, cur a muneris noſtri ratione deterreamur, vel „ quia his paſtoralibus noſtris ſtudiis, actionibuſque animos „ eorum exulcerati videamus, qui filii ſunt perditionis: vel „ quia populares illae voces audiantur: *Non ferunt haec tem-* „ *pora veterum canonum ſeveritatem: ſic jamdiu viximus: ſic* „ *vixerunt, ita egerunt, qui aetate anteceſſerunt. Vitae in-* „ *ſtitutum non eſt, quod immutemus*. At nos haec, atque adeo „ alia ejuſmodi contemnamus. Proponamuſque nobis ob ocu- „ los libertatem illam ſpiritus, & virtutem, qua armati Pa-

Digitized by Google

„ tres noſtri Apoſtoli, qua muniti Martyres, qua inſtructi Ordinis ſanctiſſimi homines Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius &c.,qua affecti alii religioſi viri Apoſtolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus quaſi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commiſſi ſalute, forti conſtantique animo adhibuerunt illam, quaſi cenſoriam virtutem acerrimam peccatorum vindicem.„.

Et in *Inſtruct. Confeſſar.* haec praeſcribit: *Eſt praeterea conſultum abſolutionem differre, donec EVIDENS appareat emendatio in iis, qui tametſi dicant, & polliceantur, quod ſe eximent a peccato, tamen Confeſſario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat.*

V. Cavillari ſtudet hoc documentum Author citatae Diſſertationis *pag.* 32. inquiens: *s. Carolus non ait neceſſarium eſſe differre abſolutionem, ſed conſultum eſſe, & quidem non omnibus promiſcue poenitentibus, nec per longum tempus, donec ſe integre emendaverint.* Sed haec interpretatio, ut mitiſſime loquar, commentitia eſt, & niſi me omnia fallant, falſam, & laxam continet doctrinam. Quid? Sermo nunc eſt de peccatoribus recidivis, ſeu conſuetudinariis, ut citatus Author cum ſuo *Gobat* docet *pag.* 7., & iſtis differendam eſſe abſolutionem docet s. Carolus. Inepte igitur opponitur, s. Carolum non loqui de *omnibus promiſcue poenitentibus*. Quis adeo inſipiens eſt, ut doceat, omnibus promiſcue poenitentibus differendam eſſe abſolutionem? Inſiſtit Author noſter. Non docet s. Carolus, differendam eſſe abſolutionem *per longum tempus, donec ſe integre emendaverint.* Non requiritur ergo *integra emendatio*, ut digne, & valide abſolvi poenitens queat? Dimidiate ne ergo emendati abſolvi valent? Reponit Author: s. Carolum non aſſerere differendam eſſe *per longum tempus* abſolutionem. At s. Carolus docet differendam illam eſſe tamdiu, *donec evidens appareat emendatio*. Catholicorum nemo plus requirit. Quando poenitens *evidenter emendatus* dignoſcitur, abſolvendum eſſe omnes docent. Inſiſtit Author: *s. Carolus non*

non ait neceſſarium eſſe differre abſolutionem, ſed conſultum eſſe. Recte, & bene. At s. Carolus latine loquitur: *Conſultum eſſe*, quod hic idem valet, ac *convenit*, *oportet &c.* Nam s. Carolus aſſerit, differendam eſſe abſolutionem illis, qui *Confeſſario probabilem metum faciunt, ne contrarium contingat.* Conſilium ne dumtaxat eſt, non praeceptum, ut Confeſſarius differat abſolutionem illis, de quibus probabiliter timet, ſint necne reipſa contriti, & relapſuri? Hoc docere Probabiliſtae poſſunt. At Eccleſia catholica jubet, ut in Sacramentis conferendis tutiorem doctrinam ſequamur. Quoties Confeſſarius probabiliter veretur, ne recidivi conſuetudinarii ſint relapſuri, non conſilii, ſed praecepti eſt, ut illis differat abſolutionem, donec *evidens appareat emendatio*.

VI. Rurſus s. Carolus *in inſtruct. Confeſſ. ſubdit*: *Nec etiam eos abſolvat, qui in veſtium ſplendore, & ſuperfluo ornatu corporis mortaliter peccant. Et quia ſaeculi pompae, & vanitatis ad ſummum creverunt, potiſſimum ex culpa, & negligentia Confeſſariorum, qui ab hoc peccato poenitentes ſuos inconſideratius abſolvunt, & nullum forraſſe ea de re ſcrupulum ipſis movent, aliquos hic caſus deſignare placuit, in quibus mortaliter peccat, cui cordi eſt nimius ille luxus, ut juxta praeſcriptas regulas ſe gerant in illorum abſolutione*. Deinde plures occaſiones, quas *per accidens* tales Theologi appellant, enumerat, in quibus homines Confeſſariorum incuria paſſim ſcelera perpetrant. Inquit enim s. Archiepiſcopus. *Qua in re vigilare eo majus operae pretium eſt, quo, CONFESSARIORUM hac in parte INCURIA, in omnibus artibus, & profeſſionibus regnent plures abuſus, graviſſimaque peccata, ſine quibus jam videtur a multis, ne juſtiſſimas quidem profeſſiones exerceri poſſe. Sic e. g. in Magiſtratuum, & aliorum officiorum inſtitutione ea ſolemni ſaepe Sacramento promittuntur, quae numquam obſervantur. Apud juriſconſultos, advocatos, & procuratores clientum improbitati, & injuſtitiae contra propriam conſcientiam ſervitur. In militia: duello, odiis, inimicitiis, alea, blaſphemiis, rapinis, impudicitiis peccari ſolet. Mercatores uſuras palam*

Digitized by Google

palam exercent, pro ſinceris fucatas merces plerumque proponunt, pretiis longe juſto majoribus omnia vendunt. Frequentia ſunt apud eos perjuria, fraudeſque in ſolvendis pedagiis, aliisque. Et Confeſſarii aliqui omnes iſtos abſolvere ſolent. Quare iterum lamentatur *in inſtruct. Paſtor. p. 2. c. 1. inquiens. Summopere cavendum eſſe multis Confeſſariis, ne in gravem reprehenſionem inciderit eorum induſtria, cum de tanto numero confitentium tam exiguam emendationem videmus in iis, qui toties, & tam multis annis hoc Sacramentum frequentarunt.* Hinc *cap.* 12. adjicit, quod Confeſſariorum *vel incuria, vel negligentia, vel alia de cauſa ſaepe accidit, quod abſolutionis beneficium iis impartiatur, qui eo revera indigni ſunt: ac proinde multi in iiſdem fere peccatis haerent cum animarum ſuarum lamentabili ruina.*

VII. S.Franciſcus Saleſius ſententiae adhaeret s.Caroli Borromei. Nam *in Conſt. Synod. tit. 9. cap.* 5. haec habet. *Nihil perinde ita Eccleſiam dedecorat, nihil ita ejus violat diſciplinam, nihil ita fovet peccatores in ſomnolenta peccandi conſuetudine, quam probroſus ille mos, quo quidam Presbyteri peccata relaxant, non tamquam judices, qui prudenti, & gravi criminum diſcuſſione diſcernant, num pro eo poſſint pronuntiare: verum tamquam mancipia, quae praecipiti, & adulante indulgentia peccatoribus blandiuntur. De iſtis adulatoribus dicit Cyprianus, quod inducant in Eccleſiam dulcem crudelitatem, miſericordiae, & clementiae nomine palliatam. Eamque quam dant pacem* (ſeu abſolutionem) *irritam, & falſam pacem aſſerit, dantibus periculoſam, & nihil accipientibus profuturam...... Ea propter, ut abuſus iſte eradicetur, Confeſſarii differant abſolutionem* (pluribus in caſibus ibi enarratis, & praecipue iis) *qui vitioſis habitibus eradicandis NERVOS OMNES non intenderint in confeſſione alias admoniti, & correpti.* Perſpicua haec ſunt, & nulli tergiverſationi obnoxia.

VIII. Ven. Cardinalis Bellarminus, ex cujus firma doctrina ſuperius quaedam tranſcripſi, plura alia ibidem adjicit *Conc.* 8. *Dom.* 4. *Adv. Multi*, inquiens, *hodie imperiti oeconomi,*

mi,

mi, qui nec munus, nec locum, nec gradum ſuum intelligunt ... Illi poſtremo ſe miniſtros, & diſpenſatores non agnoſcunt, qui quaſi non eſſent Domino rationem reddituri, ſumma facilitate omnibus manum imponunt, & tam contritos, quam non contritos, tam plene, & perfecte confitentes, quam peccata confuſa quadam generalitate involventes, tam ſatisfacere paratos, quam non paratos, quaſi propria poteſtate, & auctoritate abſolvunt. ISTI SUA IMPERITIA, ET SUPERBIA CORRUMPUNT POPULOS, ET EIS VERAE POENITENTIAE VIAM PRAECLUDUNT. NEC ENIM ESSET HODIE TANTA FACILITAS PECCANDI, SI NON ESSET TANTA FACILITAS ABSOLVENDI. Veniunt homines onuſti peccatis, & qui millies in eadem ceciderunt, & veniunt ſaepe ſine ullo ſigno doloris, vel pridie, vel ipſo die ſummae celebritatis, & ſtatim abſolvi, & ad Sanctorum Myſteriorum communionem accedere volunt. Et nos judices inconſiderati, diſpenſatores infideles manum imponimus, omnibus dicimus: Ego te abſolvo. Vade in pace. *Sed vae nobis, cum Dominus rationem ponet cum ſervis ſuis.*

IX. Deinde deſcribit duo Baptiſmata: unum aquae frigidiae, alterum aquae ferventis, nempe contritionis, lacrymarum, jejuniorum, ut ſuperius expoſui. Proſequitur vero: *Cum homines jam priori baptiſmate* (aquae frigidae) *abſoluti negligenter diſſolute vivunt, & Deo ingrati, iterum maculas contrahunt, tum Deus reſtringit nonnihil manum, & ſacerdotibus dicit: Si rurſum ad vos pro medicina peccatorum venerint homines iſti, quos ſemel laviſtis, non amplius eos lavabitis baptiſmo aquae frigidae: ſed adhibete balneum ferventis aquae, & eorum pellem diligenter excoquite, ut alias ſint prudentiores, & majori diligentia caveant flagitia. Hoc eſt Sacramentum Poenitentiae, Auditores, baptiſmus laborioſus, baptiſmus lacrymarum, balneum aquae ferventis, quod requirit gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos poenitentiae, preces, eleemoſynas, & alia id genus opera. At Haeretici quidem rem iſtam non intelligentes, neque conſiderantes baptiſmi, & poenitentiae* di-

diſcrimen, ſed in utroque Deum aeque liberaliter agere ſibi perſuadentes, neſcio quam ſibi fingunt reſipiſcentiam, & vitae mutationem ſuavem, ac delicatam, quae nullam habeat contritionem, & ſatisfactionem pro peccatis praeteritis.

X. Quapropter diſputationes longas inſtituerunt Catholici adverſus Lutheranos negantes *opera praeparatoria* ad juſtificationem, ut evincerent haec opera pia, & laborioſa diſponere animas, & praeparare ad maximum juſtificationis donum; proindeque ii caveant, ne in *Lutheraniſmum* incidant, qui *Janſeniſmi*, & *Rigoriſmi* multos accuſant, quod operibus laborioſis diſponendos eſſe peccatores, potiſſimum recidivos conſuetudinarios ad poenitentiae Sacramentum doceant. Subdit enim doctiſſimus Bellarminus hanc eſſe viam regiam, *quam Eccleſia Catholica tenet, & quam ſemper Patres, ac Doctores orthodoxi, ac probati docuerunt. Audite Cyprianum &c. Audite B. Gregorium &c. Audite Theodoretum &c..... Sed quid opus eſt tam multis teſtimoniis hominum, cum ipſe Spiritus Sanctus in Scripturis ſanctis ſemper cum poenitentia planctum amarum, cordis contritionem, cinerem, & cilicium, jejunia, & eleemoſynas conjungat?*

XI. Quid ad haec citatae Diſſertaiionis Author? Reponetne cum ſuo P. Jacobo Sanvitali, Bellarminum eſſe *Tutioriſtam*? Pluris ne facit Platelios, Gobatos, Lacroixios, & ſexcentos ſimiles, quam Ven. Bellarminum? Magis ne illi callebant Scripturas, & Patres, quam Bellarminus? Alterutrum ergo praeſtet, neceſſum eſt: Aut horum Caſuiſtarum, aut Bellarmini doctrinam rejiciat; pugnant enim invicem, & ſimul componi nequeunt.

XII. Cardinalis Aguirius, clariſſimum Eccleſiae, & Monaſtici Ordinis lumen, cujus nonnullis a me antea relatis teſtimoniis in praeſentiarum alia lubet adjicere, quae decerpſi ex citata *Diſſert. 8. in Concil. Tolet. III. excur. 1. num. 142.*, ita poſt plurimas Ss. Patrum hac de re ſententias concludit: *Sed quid opus eſt ad antiquos Patres recurrere in re adeo manifeſta omnibus iis poenitentibus, & Sacerdotibus, qui ſtupore quodam,*

aut

aut ignorantia extrema non amiſerunt communem ſenſum ? Sane doctiſſimus , & piiſſimus Cardinalis BELLARMINUS id grande malum noſtrorum temporum variis locis lamentatur , & Concione IX. in Dom. 2. Adventus ait : „ Quam multi veniunt
„ (ad confitendum) onuſti peccatis , in quae millies ceciderunt ! Et veniunt pridie , vel ipſo die ſummae celebritatis :
„ & ſtatim (*nimirum , nulla jejuniorum, eleemoſynarum , orationum, ac poenalium operum, cordis , & corporis diſpoſitione*
„ *praemiſſa*) volunt exaudiri (*nimirum abſolvi, & ad communionem mitti*) quaſi hoc negotium eſſet ludus puerorum .
„ Nonne hi Deum non placare , ſed irridere voluiſſe videntur ? „ *Et tamen cum adeo multi peccatis onuſti veniant ad confitendum , in quae jam millies ceciderunt (ut reſumam verba BELLARMINI) quam pauci ſunt , quibus per aliquot hebdomadas , immo & dies paucos differatur abſolutio ? Quam rari forſan , quibus non ſtatim indulgeatur Communio ? Quam pene nulli , qui, addito eo novo ſacrilegio, non redeant ad vomitum ?*

XIII. Eſt ne in univerſo Probabiliſmi penu aliqua diſtinctiuncula , qua eludi haec quoque noviſſimorum Patrum , & Theologorum clariſſimorum poſſit doctrina ? Quid ad haec citatae Diſſertationis Author ? Poſſunt *toties quoties* continuo abſolvi poſt plures confeſſiones relapſi in gravia flagitia, *dummodo ex praeſcripto Confeſſarii redeant ad Confeſſionem* , non jejuniis, non eleemoſynis , non planctu praemiſſis . Sed alia ex hoc ſapientiſſimo Cardinali reſcribamus . Siquidem ibidem *excur.* 2. ait : „ Non tamen propterea dicere poſſumus vel tempore
„ Sixti IV , vel noſtro aevo neceſſarium omnino eſſe , ut poenitentia juxta ſacros Canones debita ſit *peracta* , ideſt integre acta , antequam quis confiteatur , vel abſolvatur . Hoc
„ enim hiſce poſtremis ſaeculis dicere auſus videtur cum aliis
„ erroribus in ea Bulla damnatis *Petrus ille Oxomenſis* contra praxim jam tum receptam totius Eccleſiae a longiſſimo
„ tempore , ſaltem trecentorum annorum . Nemo enim privata auctoritate , qualis erat illius Doctoris Salmaticenſis ,

Digitized by Google

„ poterat, aut poteſt modo inſtaurare priſcorum Canonum „ acerbitatem illam, qua poenitentes TOTAM ſatisfactio„ nem iis taxatam praemittere, & reipſa exhibere praecipie„ bantur, antequam abſolutionem acciperent „. Vide plu„ ra ibi.

XIV. Subdit vero *n.* 148. *In praeſenti autem inhaerentes non modo Conciliis, Canonibus, & Patribus ſupra laudatis, nec ſolum graviſſimis Cardinalibus, Epiſcopis, & Theologis horum temporum, ſed etiam rationi manifeſtae fundatae in doctrina fidei, & experimento frequenti, dicimus MAXIME oportere, ut gravium peccatorum rei, praeſertim relapſi, antequam confiteantur, vel ut minimum antequam abſolvantur, praemittant aliquanto tempore, juxta numerum, & gravitatem ſcelerum fructus dignos verae poenitentiae interioris, exteriorisque, licet longe breviores, quam peccatis eorum reſpondeant juxta Canones Sacros. Aliquanto, inquam, tempore, veluti quarumdam hebdomadarum, aut ſaltem dierum in aſſidua contritione, oratione, jejunio, fletu, & planctu, eleemoſynis, aliiſque exercitationibus piis: ut ſic rite diſpoſiti gratiam reconciliationis accipiant, & reddantur capaces fructuoſae communionis.*

XV. Addit etiam ibi excurſu 3. *n.* 161. *Inſuper ea opera poenalia non ſolum deſerviunt ad placandam indignationem Dei, & vindicandum ſcelera in ipſum commiſſa, impetrandumque auxilia opportuna perfectae converſioni: ſed etiam, ut confeſſarius habeat moralem quamdam certitudinem de ſufficienti diſpoſitione poenitentis, ac requiſitis convenientibus ad remiſſionem, ſive abſolutionem accipiendam.*

XVI. Epiſcopus Atrebatenſis, quem honoris cauſa nomino, in ſua *Inſtruct. cap.*2. haec inter plura docet. *Quiſquis animum advertere voluerit, non poterit non deprehendere .... pauciſſimas eſſe inter Chriſtianos poenitentias, quae notas praeferant, quas hic exigit* (Synodus Tridentina) *ut verae ſint: adeoque pleraſque earum, quibus hoc nomen tribuitur, non eſſe, niſi poenitentiarum ſpecies, & phantaſmata. Proinde dici poſſe, numquam in Eccleſia fuiſſe tam paucos veros poenitentes, etſi num-*

numquam fuerint & confeſſiones magis iteratae, & abſolutiones frequentiores.

„ XVII. „ Verum ſi a poenitentibus convertamus oculos ad
„ illorum *Directores*, qui ipſis Sacramentum reconciliationis,
„ & gratiae .... adminiſtrant, poteſt ne non obſervari pari
„ admiratione, & dolore, quam pauci miniſterio ſuo fideles
„ ſint, cum certe difficillimum ſit, aut potius omnium impoſ-
„ ſibile, verba Concilii, quae jam recitata ſunt, *cum ignava*
„ *illa, ac molli innumerorum Confeſſariorum directione conci-*
„ *liare? A quibus utique peccatores in Sacramento poenitentiae*
„ *ducuntur per viam ſuavem, gratam, inter medias voluptates,*
„ *& delicias ſaeculi*, nullo injuncto labore. Nam illorum
„ poenitentia, cum abſque laboribus, vera poenitentia non
„ eſt, & qui illos per vias iſtas ducunt, *caeci ſunt, & duces*
„ *caecorum* .... qui aut metu forte diſplicendi, aut ignava
„ ope commodi *ſcientes, & volentes illos perdunt*. „

„ XVIII. Et *cap.* 8. in medium producit haec Tridentini Concilii verba: *Sane & divinae juſtitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui ſemel a peccati, & daemonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur theſaurizantes nobis iram in die irae*. Quibus Concilii verbis relatis, ita pergit laudatus Epiſcopus. „ Decet inſuper, ut intelligat peccator juxta
„ s. Auguſtinum ludum non eſſe, Deum contemnere, & crea-
„ turam ipſi praeferre. Decet juxta s. Gregorium, ut ultro
„ renunciando voluptatibus licitis, reparet iniquitatem, qua
„ ſe infeliciter tradidit illicitis. Haec abſque dubio diſpoſi-
„ tio eſt, qua culpam reparare debet verus, & ſanctus poeni-
„ tens, & ad quam eum ducere deberet *bonus director*. Ve-
„ rum etſi iſtam agendi rationem exigat divina juſtitiae ratio,

 „ *non*

Digitized by Google

„ *non continuo* exigit commodum directoris, *qui timet poeni-*
„ *tentem ſuum a ſe alienum reddere: non eam exigit naturae*
„ *propenſio, non teneritudo ſaeculi.* „

„ XIX. Cardinalis Denhoffius Epiſcopus Caeſenatenſis in ſua *inſtruct. paſtor.* fuſe diſſerit de hoc argumento. Pauca hic proferam: „ Vos admonemus, quod tametſi Eccleſia, con- „ ditis in ultimo generali Concilio decretis, ſeu canonibus, „ manifeſte nobis teſtata ſit, ſe per omnes temporum aetates „ *eumdem in hac reſervare ſpiritum*: *nihilominus ſparſae ſunt* „ *per orbem opiniones quaedam menti illius adverſantes*, *quas* „ *veluti latentes ſcopulos quoſdam*, *portum obſidentes*, *ſollicite* „ *evitare oportet &c.* „. Addit vero *tit. 9.* „ oportere, ut „ poenitentes ſe ſe *praeparent precibus, humilibus, ac piis ope-* „ *ribus*, *& repetitis actibus virtutum*, *quae vitiis dominanti-* „ *bus adverſentur*. *Id verum agnoſcit D. Bernardus*, *& miri-* „ *fice rem illuſtrat*.... Magnus ergo peccator magna miſeri- „ cordia opus habet, ut ubi abundavit delictum, ſuperabun- „ det & gratia. Idcirco Rex David poſt adulterii flagitium „ Deum rogat: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſeri-* „ *cordiam tuam*. *Hanc autem miſericordiam magnam non lar-* „ *gitur Deus magnis peccatoribus* ſine praecedenti luctu, ge- „ mituque, nec ſine multa poenitentiae exercitatione; flagi- „ tante hanc oeconomiam juſtitia Dei, ut e Tridentino Con- „ cilio ſumus edocti: *Ad quam novitatem*, inquiens, *& inte-* „ *gritatem per Sacramentum poenitentiae ſine magnis noſtris* „ *fletibus*, *& laboribus*, *divina id exigente juſtitia*, *pervenire* „ *nequaquam poſſumus*. (§. 12. adjicit:) Ita & docuit, & „ fecit magnus Indiarum Apoſtolus s. Franciſcus Xaverius... „ Neque arbitremini, exhortationes veſtras, quae exiguo „ tempore inter confitendum curſim, & veluti in tranſitu „ fiunt, ſupplere poſſe erga homines prava conſuetudine im- „ plicatos quod deeſt praeparationi, quae per exercitationes „ poenitentiae *praecedere debet*. Cum ejuſmodi non ſolum „ mortui jaceant, ſed etiam ſub grandi perverſae conſuetudi- „ nis lapide ſepulti; adeo ut gratiae auxilio minime vulgari,

„ &·quaſi

Digitized by Google

„ & quaſi *miraculo opus ſit, ut e tali profundo ſubito eruantur.*
„ Cum autem putandum non ſit, confitentes id auxilium na-
„ ctos eſſe ob ſubitarum converſionum raritatem, id erit vo-
„ bis amplectendum, quo nec ſacramentum, nec ſalus poeni-
„ tentis in periculum veniat: *quia praeſto ſunt remedia lege*
„ *communi adhibenda: nempe, ut juſtum temporis ſpatium poe-*
„ *nitenti adſignetis, quo ſe ad impetrandum abſolutionis benefi-*
„ *cium praeparet, id agendo, quod innuit Concilium Tridenti-*
„ *num ſeſſ. 14. cap. 2. de poenit., ſcilicet ut tempus aliquod*
„ *exigat gemitibus ex animi dolore profectis, & operibus poeni-*
„ *tentiae ſuprà deſcriptis.* „ Lege ibidem plurima.

„ XX. Attendite ergo animis diligenter, & rem percipite omnes, qui judicatis peccata. Converſionis, & juſtificationis Chriſtianae modum, & rationem non ab opiniunculis quorumdam privatorum Caſuiſtarum, ſed a Scripturis divinis, a ſanctis Patribus, a Conciliis, & praeſertim Tridentino, a ſapientibus Epiſcopis, quos poſuit Deus regere Eccleſias, a praeſtantioribus Theologis repetere neceſſarium omnino eſt. Porro Scripturae divinae, ss. Patres, Concilia, Epiſcopi, Cardinales, Theologique doctiſſimi unanimi conſenſu teſtantur, peccatores, praeſertim frequenter poſt plures confeſſiones prolabentes non converti, niſi toto corde, tota anima, tota fortitudine Deum diligere incipiant: niſi totos nervos intendant, omnes vices exerant: niſi vehementiſſimos conatus adhibeant: niſi graviſſimam moleſtiam ſuſtineant: niſi interna contritione peccata propter timorem gehennae, & Dei amorem deteſtentur: niſi magnis precibus, & laboribus, jejuniis, & eleemoſynis, lacrymis, aliiſque piis operibus ſe ſe praeparare, & diſponere ſtudeant, atque contendant. Hae ſunt Prophetarum voces, haec Evangeliſtarum oracula, haec Eccleſiae catholicae conſtans, atque perpetua ſententia. Nonne quemadmodum Cyprianus, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Bernardus, ita ss. Thomas de Villa Nova, Carolus Borromeus, Franciſcus Saleſius, Cardinales Bellarminus, & Agnirius, Denhoffius, & innumeri alii locuntur? Quorum ego egregiis

giis monitis, atque doctrinis vehementer oro, atque obteſtor, ut peccatorum animi, praeſertim recidivorum imbuantur, ac dirigantur ab iis, qui Poenitentiae ſacramento judicium exercent: miſſis procul noviſſimae *Diſſertationis* commentis, continuo recidivos abſolvendos eſſe *toties quoties* ex praeſcripto Confeſſarii redeunt ad Confeſſionem, ſi exhibeant *aliquem conatum, aliquam induſtriam ad emendationem, ſi imminuerint numerum flagitiorum*.

XXI. Sed juvat quoque eos Theologos audire, qui cum doctrina, & pietate praeſtiterint, illud etiam merito conſecuti ſunt, ut Concilio Tridentino intereſſent, & magni haberentur ab omnibus Patribus. Adeſt ergo vir ſapientiſſimus, & in praefato Concilio Theologus Pontificius *Petrus de Soto* Ord. Praed., qui cum eſſet unanimi conſenſu delectus, ut Confeſſionem Catholicam opponeret confeſſioni Lutheranae, quam Legatus Ducis Wittembergenſis Concilio obtulerat, pro iſta, quam nos defendimus, ſententia tam luculentam confeſſionem ſcripſit, ut univerſi plauſu Concilii fuerit accepta. Quod ut clarius fiat, Proteſtantium antea errores curſim indicabo. Melanchton in Apologia *Confeſ. Auguſt. art. de Confeſs. & ſatisf.* inquit: *Scholaſtici viderunt, in Eccleſia eſſe ſatisfactiones, nec animadverterunt illa ſpectacula inſtituta eſſe, tum exempli cauſa, tum ad probandum hos, qui petebant recipi in Eccleſia. In ſumma non viderunt eſſe Diſciplinam, & rem prorſus Politicam: ideo ſuperſtitioſe finxerunt eas non ad Diſciplinam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum valere*. Calvinus *lib. 3. Inſt. cap. 4. §. 39.* ſatisfactionem a Patribus appellatam contendit, *non compenſationem, quae Deo redderetur, ſed publicam teſtificationem, qua, qui excommunicatione mulctati fuerant, cum in communionem recipi vellent, Eccleſiam reddebant de ſua poenitentia certiorem*. Confeſſio Wittembergenſis inter alia haec aſſerebat. *Jejunium ſentimus utile eſſe non in hoc, ut vel operis ſui merito expiet peccata coram Deo, vel applicet jejunium meritum Chriſti, ſed ſobrietate injiciat carni fraenum*.

XXII. Quibus omnibus reſpondet Petrus Soto: *Bona opera*

Digitized by Google

ra ad expianda peccata , & iram Dei placandam neceſſaria eſſe , & utilia . Orationem exigi in Scriptura , ut remiſſio peccatorum obtineatur . Jejunium ad placandum Deum , ſatisfaciendumque ipſi pro peccatis , & ad Chriſti meritum nobis applicandum neceſſarium eſſe &c.

XXIII. Adeſt praeterea celebris apud Tridentinum Theologus *Ruardus Tapperus* , qui *tom.* 1. *explicat. articulor. Facultatis Theologicae ad art.* 6. haec ſcribit : *Eſt conſiderandum varia eſſe opera poenitentiae . Quaedam enim praecedunt juſtificationem , quibus ad eam praeparamur, ut Deus ad facilius reconciliandum provocetur . De his Jonas Propheta : Crediderunt viri Ninivitae in Domino , praedicaverunt jejunium & c. Et Joel : convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio , & in fletu &c.*

XXIV. Adeſt *Heſſelius*, qui in ſuo catechiſmo *p.* 2 . *cap.* 8. haec docet : *Progreditur* (peccator) *ulterius ſpe erectus in Chriſtum , & audet a Deo peccati veniam poſtulare : Ac deinde cognoſcit ex Scripturis Deum nolle miſereri , niſi miſericordibus . Quapropter incipit nonnullam facere miſericordiam dimittens ſaltem in ſe peccantibus . Diſcit praeterea a poenitentibus requirere mortificationem carnis , adeoque jejunat , ut poteſt , & carnem non nihil caſtigat . Atque haec eſt ordinaria via ad obtinendam remiſſionem peccatorum . De miraculis enim , & eis , quae praeter communem ordinem fiunt , hic non agitur . Haec autem , quae dixi , Scriptura nos docet .*

XXV. Adeſt Raveſtenius, qui in confutatione doctrinae Miniſtrorum *pag.* 45. haec ſtatuit : *Manifeſtum eſt , quod promiſſiones de juſtificatione , reconciliatione, & gratia Dei , requirant conditiones quaſdam a credentibus , utpote poenitentiae , orationis , operum miſericordiae , humiliſque ſuſceptionis Sacramentorum , ut bona promiſſa poſſint conſequi .* Similia habet in Apologia Decretorum Concilii Tridentini contra Kemnitium Lutheranum .

XXI. Theologi etiam praeſtantiſſimi Lindanus, Lenſaeus, Hareus , Albertus Pichius, Gherardus Billick, Conradus Clingius ,

Digitized by Google

gius, Franciſcus Panigarola, Hieronymus Oſorius, Dominicus Soto, & alii innumeri, quorum teſtimonia mitto, Scripturarum, & ss. Patrum conſenſu unanimi firmatam hanc eamdem doctrinam de operibus praeparatoriis ad juſtificationem ſcriptis propugnarunt adverſus Lutheranos, qui blaſphemabant, ſola fide hominem juſtificari, & opera poenitentiae nihil ad impetrandam juſtificationem valere.

XXII. Quid ad haec novi Probabiliſtae? Aut praefati Theologi de operibus praeparatoriis ad poenitentiae Sacramentum calluerunt ſenſum Scripturarum, ss. Patrum, & Eccleſiae: aut ſecus. Si primum concedunt, fateantur neceſſe eſt, ſe aut abjicere, aut ignorare doctrinam Scripturarum, ss. Patrum, & Eccleſiae. Si ſecundum affirment, ergo concedere debent, Deum tunc male providiſſe Eccleſiae ſuae, eidemque ſuum denegaſſe Patrocinium, cum Doctores catholici communiter Eccleſiae ſenſum ignoraverint, in illa ipſa controverſia, de qua cum Haereticis diſputabant. Nullum ad evadendum hinc perſugium ſupereſt. At Deum bene providiſse Eccleſiae ſuae adverſus Lutherum, & Calvinum omnes catholici teſtantur, & laudatos Theologos ſuſpiciunt veluti a Deo excitatos, ut veram Eccleſiae doctrinam ſartam, tectam aſſererent. Appellabunt ne a dictis Theologis ad Tridentinum ipſum? At vero Concilio interfuere Petrus Soto, Dominicus Soto, Ruardus Tapperus, Heſſelius, Raveſtenius. An iſti Concilii doctrinam ignorarunt, & eam calluerunt Gobattus, Manrique, Felix Poteſtas, Burgaber, Platelius, De Lugo, La Croix, La Fontein, & his ſimiles, qui nec Concilii tempore, nec loco fuere? At Concilii verba iterum audiant *ſeſſ. 13. cap 2.* *Ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum poenitentiae ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus, ut merito poenitentia laborioſus quidam baptiſmus a ss. Patribus dictus fuerit.* Quid Cavillari contra hanc tam apertam Concilii mentem ſoleant Caſuiſtae infra patefaciam cum omnia eorum ſophiſmata refellere curabo.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

A Praeſtantibus Theologis Soc. Jeſu haec eſt ipſa doctrina tradita de Peccatorum praeſertim recidivorum neceſſario ad converſionem, juſtificationemque maximo apparatu.

SEmper exceptos in univerſo opere meo peculiares caſus volo, puta infirmitatis, mortis imminentis, impotentiae, & extraordinariae contritionis. Idque frequentius, quam opus eſſet, repetendum cenſeo, ut anſa cavillandi, & obtrudendi theſes ab Alexandro VIII. & Clemente XI. proſcriptas eripiatur. Nemo ſiquidem Catholicorum docet, ita neceſſaria eſſe haec opera praeparatoria, ut in omni caſu requirantur: ſed Scripturae divinae, ss. Patres, & Theologi loquuntur ſecundum communem divinae Providentiae ordinem, & juxta id, quod communiter evenit. Ad rem accedamus. Ex ven. Bellarmino aliqua ſupra exſcripſi, & infra plura dabo. Alii nunc Jeſuitae in medium veniant.

II. *Caniſius* Soc. Jeſ. inſignis Theologus *lib.* 1. *de corrup. verb. Dei cap.* 2. inquit: „ Cum alia ſit poenitentiae ratio, „ quae ante Baptiſmum Catechumenis, & quae a Baptiſmo „ relapſis convenit (ſicut confirmat etiam Auguſtinus lib.50. „ Homiliarum hom. ult.) durior eſt illa quidem, quam a „ baptizatis tum divina juſtitia, tum eccleſiaſtica diſciplina „ exigere ſolet. Quare ſic a Theodoreto ſcriptum eſt: *Sunt* „ *medicabilia etiam, quae poſt Baptiſmum ſunt vulnera: me*„ *dicabilia autem non ut olim per ſolam fidem, data (in Baptiſ*„ *mo ſcilicet) remiſſione, ſed per multas lacrymas, & fletus,* „ *& luctus, & jejunium, & Orationem, & laborem commiſſi* „ *peccati quantitati contemperatum. Qui enim non ſic affecti* „ *ſunt, eos nec admittere didicimus, nec divina ſunt eis manu* „ *impartienda.* Nolite, inquit, dare ſanctum canibus, nec „ margaritas porcis. Has habet Eccleſia leges de poenitentia.

 „ Ut

„ Ut hinc recte quidam inter aquae, & lacrymarum baptiſmum diſtinguant, & quam nos poenitentiam uſitate dicimus, laborioſum Baptiſmum appellent, ſicut poſt Gregorium Theologum *Orat. in ſancta lumina* docuit Damaſcenus *lib. 4. Orthodoxae fid. cap. 9.* ..... Quid brevius, & aptius dicere poterat (Joannes quam illud, *poenitentiam agite*? Et quod adhuc eſt abſolutius: *facite fructus dignos poenitentiae*? Ubi non qualemcumque animi mutationem, nec ſolam reſipiſcentiam intelligit &c. ..... Nec fieri ſane poteſt, quin, ubi Joannis concio diligenter auditur, & evangelica poenitentia vim ſuam in corde, ſicut in Davide Propheta, explicat, illic homo poſt peccatum admiſſum onus illius graviſſimum ſentiat, & iratum Judicem Deum ſpectet anxius, & luctum quemdam, ſicut mater ſuper mortem unigeniti ſui, aſſumendum ſibi putet, ſibique prorſus iraſcens, cum filio Prodigo, & Publicano ſe mirum in modum demittat, velut indignum, qui caelum aſpiciat, & inter Dei Filios recenſeatur. Igitur ad quaerendum Dominum totus, ideſt, toto corde, & tota tribulatione animae ſuae, ſimulque in jejunio, fletu, & planctu convertitur, quemadmodum de poenitentia Moyſes, & Joel concionantur. Quae propterea viſum eſt pluribus explicare, ut uſum, & effectum verae poenitentiae cognoſcamus, qui hodie, proh dolor! parum intelligitur, minus exigitur, minimeque praeſtatur „.

III. *Franciſcus Ribera* Soc. Jeſ. Theologus, & Scripturarum interpres praeclarus exponens cap. 2. Joelis ad verſ. 18.; *Nunc ergo dicit Dominus: convertimini ad me*, haec habet: „ Ne in haec, quae comminatus ſum, incidatis, toto corde ad me convertimini. Nec putetis ſolum internum dolorem a me exigi, OPERA POENITENTIAE adjungi volo, quae dolorem verum eſſe teſtentur, & praeterea peccata puniant, peccatorumque voluptates poenarum acerbitate compenſent. Non eſt magnus dolor, qui ſe per fletum, & poenitentiae opera non prodit: *jejunate* ſimul, *& flete*, *& plangite*.

„ *gite*. Quid ergo Haeretici errantes, & in errorem mitten-
„ tes animas vagas, & inſtabiles, opera poenitentiae, quae
„ Deus exigit deteſtantur? Etſi credant ſibi per Jeſum Chri-
„ ſtum dimitti peccata; dimiſſa mentiuntur. Hieronymus:
„ Animi poenitentiam jejunio, & fletu, & planctibus indi-
„ cate „. Duo ergo requirere Deum a peccatoribus praeſer-
tim Recidivis conſuetudinariis P. Ribera interpretatur, nempe dolorem internum, & opera poenitentiae, quae patefaciant dolorem eſſe verum, & ſincerum.

IV. *Cornelius a Lapide* Soc. Jeſ. Theologus, & ſacrarum Scripturarum praeſtantiſſimus interpres, haec in *cap*. 2. *Oſeae verſic*. 14. ſcribit. „ Sane qui e peccatis emergere, vitamque
„ ſerio emendare, & mutare volunt, neceſſe eſt, ut a turba de-
„ clinent, & in ſolitarium locum ſaltem ad tempus ſe reci-
„ piant, ubi & priſtina vitia dediſcant, & occaſiones pecca-
„ torum, diſtractionumque declinent, & meditationibus ſan-
„ ctis, piiſque exercitiis inſiſtentes, diſcant qua ratione, &
„ modo vitam corrigere debeant: denique ubi a Deo viſiten-
„ tur, illuminentur, & corroborentur in hoc melioris vitae
„ propoſito &c. „

V. Rurſus *cap*. 3. *Malachiae in verſ*. 3. inquit. „ Me-
„ minerit Sacerdos, praeſertim Confeſſarius, ſe quaſi Vica-
„ rium Chriſti ſedere pro Tribunali, ut non leviter hoc judi-
„ cium peragat, dicatque cuilibet poenitenti: *Ego te abſolvo*:
„ ſed mature culpas examinet, eaſque non tegere, non obli-
„ nire, non ſuperficialiter delere, ſed radicitus eradere ſata-
„ gat, ſicut aurifex per ignem ab auro eradit omnem ſcoriam,
„ & fullo per herbam borrith a panno omnem, etiam inti-
„ mum, tollit naevum, & maculam &c. „

VI. Tandem difficilem peccatoris converſionem deſcribit *in cap*. 2. *verſ*. 13 Epiſtolae Jacobi, inquiens. „ Multi eſto
„ ſciant propoſitum efficax requiri ad abſolutionem, tamen
„ illud procurare, & habere non ſatagunt, ſed habere ſimu-
„ lant, imo ſibi ipſis falſo perſuadent. Eſt enim propoſitum
„ hoc ſerium, RES ARDUA, SUBLIMIS, ET DIFFICI-

Digitized by Google

„ LIS: multi autem nolunt vim ſibi adhibere, & ad rem tam „ arduam totis viribus conniti, praeſertim in morbó, & articulo mortis &c. „

VII. *Joannes Maldonatus* Soc. Jeſ. Theologus, & celebris Scripturarum interpres plura hoc de argumento ſcribit *tom.*2. de Poenitentia. Pauca tranſcribam ex *cap.* 2., ubi haec habet. „ Non dubito, quin OMNES veteres Authores aliam etiam „ ſatisfactionem agnoverint pro culpa. Nam non putabant, „ Deum culpam remittere peccatorum, priuſquam externis „ poenitentiis Deum placaſſent; neque Sacerdotes putabant da„ re poſſe poenitenti abſolutionem, priuſquam quaſi interpre„ tes divinae voluntatis viderent eum poenitentiam egiſſe pec„ catorum, ut credibile eſſet, Deum jam illi eſſe placa„ tum .... „ Atque haec quidem ſententia valde mihi con„ ſentanea videtur Scripturis ſanctis, quae docent Deum leni„ ri a peccatoribus per externam poenitentiam, ut illis cul„ pam remittat. Nam cum Deus per Joelem ait *cap.* 2. *Con„ vertimini ad me &c.* utique cum peccatoribus loquitur, „ quibus nondum culpam remiſerat, & viam illis oſtendit, „ qua poſſint invenire peccatorum veniam, per jejunium, per „ fletum, per planctum. „

„ Et Ninivitae adhuc erant peccatores cum jejunarunt, cum „ ſe ſaccis induerunt, cum ſe cinere aſperſerunt; & tamen „ hac oratione Deum placarunt, non tantum ut illis poenam „ remitteret, ſed ut etiam culpam condonaret. „

„ Et cum Daniel conſulit Nabuchodonoſori *cap.* 4. ut ini„ quitates ſuas Eleemoſynis redimat, non loquitur de poe„ na, ſed de culpa; quia Nabuchodonoſor adhuc peccator „ erat &c. .... „

„ Confirmatur etiam rationibus haec ſententia. Primum, „ ejuſdem generis eſt, ſatisfacere pro remiſſione culpae, & „ orare pro remiſſione culpae. Nam ſi opus ſatisfactionis apud „ Deum nihil valet, quia fit a peccatore; neque oratio pecca„ toris valere debet: ergo ſi nemo poteſt, dum in peccato eſt, „ ſatisfacere pro culpa, nemo etiam debet orare pro culpa.

Digitized by Google

„ At oratio cenſetur prodeſſe aliquid etiam dum fit in pecca-
„ to, modo bono fiat animo, ad obtiuendam veniam peccati.
„ Ergo & ſatisfactio prodeſt in peccato facta. „

„ Secundo, ſi non prodeſſet ſatisfactio, quae fit a pecca-
„ tore ad remiſſionem culpae, ſequeretur nihil etiam prodeſſe
„ attritionem &c. „

„ Tertio ſequeretur, non debere nobis eſſe traditum prae-
„ ceptum de contritione &c. „

„ Quarto, omnes ſcholaſtici confitentur diſpoſitiones, quae
„ praecedunt in peccatore, quamvis non mereantur divinam
„ gratiam, & remiſſionem culpae, tamen conferre plurimum
„ ad illam. Ergo & opera ſatisfactionis facta in peccato va-
„ lent multum ad impetrandam ipſam remiſſionem culpae, &
„ gratiam divinam, quamvis illam non mereantur &c. „

VIII. Quis audeat contra ſapientes iſtos Jeſuitas inſurgere, qui Scripturas, Patres, & traditionem Eccleſiae peroptime callentes unanimi conſenſu docuere, requiri preparatoria opera laborioſa, & maximum conatum, ut peccatores praeſertim conſuetudinarii juſtificationis, & verae converſionis, quae perraro, ac difficiliter obtineri dicitur, gratiam conſequantur? Inſurget ne de more agmen Probabiliſtarum qui, in hoc ſaltem argumento Scripturas, & Patres ignorarunt? At ſoli illi Theologi ſexcentis iſtorum praevalent, ut nemo prudens non intelligit. Ergo vel ipſi eruditiores, celebriores, & ſapientiores Jeſuitae, in cujus conſpectu veluti noctuae reſpectu ſolis ſunt Buſembaum, Gobattus, Eſcobar, Lacroix, Viva, & ceteri ſimiles, a me ſtant, meamque, ſeu verius, communem Eccleſiae doctrinam propugnant. Verum ut oppoſitores iſti aliquando, ſi fieri poteſt, percipiant, quantum a veritate aberrent, Caſuiſtam mitioris ethices patronum allegare hac de re tandem decrevi.

IX. *Baunius* Soc. Jeſu Caſuiſta de *Poeniten. pag.* 223., & ſeq. haec docet: „ Mentio fit (in Trid. ſeſs. 14. c. 4.) inſuper
„ propoſiti, ideſt certae, ideſt ſtabilis, ac firmae voluntatis
„ non peccandi amodo; nempe ne nos lateat, non quodvis
„ leve

Digitized by Google

„ leve propoſitum ad placandum Deum ſatis eſſe, ſed omnino „ debere eſſe forte, conſtans, & efficax, ut ad peccata impoſterum redire nolimus: *Inanis enim eſt poenitentia, quam „ ſequens culpa coinquinat, vulnus iteratum ſanatur tardius; „ frequenter peccans, & lugens vix veniam meretur; nihil „ proſunt lamenta, ſi replicantur peccata; nihil valet veniam „ a malis poſcere, & mala denuo iterare. Perſiſte ergo in con„ feſſione, eſto in poenitentia fortiter confirmatus, vitam bo„ nam, quam accepiſti, tenere non deſinas; propoſitum bonae vi„ tae conſerva jugiter*. (Aug. apud Gratianum de poenitentia „ diſt. 3. can. 12.) Qui illud eripi ſibi per ſummam infirmita„ tem patitur, veri poenitentis eſt nomine, ac laude indignus: „ in quo quoniam multi ſibi, officioque deſunt, ideſt *eorum*, „ *quos vere peccatorum poenitet, tam rara, tenuiſque eſt copia*, „ *ut NULLI POTIUS, QUAM ALIQUI ea laude prae„ ſtare ſint cenſendi*. „

X. „ Notis ergo Saul veri poenitentis caruit. Dixit quidem „ (inquit *Rupertus* in cap. 2 Apocal. loquens de ejus poeni„ tentia 1. Reg. 15.) dixit, inquam, *peccavi*, ſed non humi„ liter dixit, aut ſenſit: addit enim, *ſed nunc honora me*. Ho„ norem ergo, vel gloriam, non Dei, ſed ſuam iſta confeſſio„ ne mercari voluit: In quo quoniam (quae eſt naturae hu„ manae, temporumque perverſitas) eum eſt imitata poſteri„ tas, *mihi mirabile videri non ſolet, ſi PAUCOS ATQUE „ ADEO NE UNUM QUIDEM DE MILLE veri poe„ nitentis dignum nomine reperiri poſſe*, dixerit Auguſtinus. „ *Abundant*, inquit, *hic poenitentes, quando illis imponitur ma„ nus; fit ordo longiſſimus; Orate poenitentes, & orare eunt „ poenitentes; & quaero unum poenitentem, & non invenio*. „ (Serm. 144. de temp.) Nimirum PAUCI in viam redeunt; „ PAUCI ſe, moreſque corrigunt; PAUCI ſibi, quae recta „ ſunt, placere; inviſa autem eſſe, quae Deo, ac rationi „ ſunt adverſa, opere, ipſoque vitae genere oſtendunt.

XI. Hinc luculenter apparet, quantum cum Chriſtianorum moribus in dies laxatur nonnullorum Caſuiſtarum ethices.

ces. P. Balthaſar Francolinus Epiſcopum Genettum Rigoriſtam appellat, quod exigat pro Confeſſione valida propoſitum conſtans, & firmum. Numquid Rigoriſta, aut Janſeniſta eſt P. Baunius? Et tamen hic tanto tempore ante Genettum exegit *propoſitum forte, conſtans, efficax, ſtabile, firmum*. Ergo a tempore *P. Baunii* quorumdam Theologia Caſuiſtica in poenitentiae Sacramento laxior evaſit. Quid ad haec Author *cit. Diſs.*, qui *pag.* 25. ſcribere auſus eſt: Firmam, conſtantem, ac ſtabilem voluntatem non peccandi non cohaerere cum Scripturis, cum Tridentino, & cum ipſa libertate indifferentiae? Libertas ergo indifferentiae juxta hunc novum Theologum poſtulat, ut juſtificati frequenter relabantur poſt plures confeſſiones in flagitioſa crimina, non ne? Sed redeamus ad Baunium, qui minime aſſereret *Paucos* eſſe veros poenitentes, ſi tam facilis eſſet iſtorum converſio, qualem illam praedicat laudatus *Diſſertationis* Author. Dicturus ne erit, Calviniſtam fuiſſe *P. Baunium*, propterea quod cum s. Paulo Apoſtolo pro vera converſione requirat *ſtabilem*, *firmam*, & efficacem voluntatem non peccandi?

CAPUT OCTAVUM.

Rationum momentis eadem doctrina Scripturarum, Patrum, Theologorumque confirmatur.

PAuca praemitto, quae veritati illuſtrandae viam parant. Et primum ſermo in praeſentiarum non eſt de converſione, & juſtificatione, quam infundere momento abſolute Deus poteſt induratis, & obcaecatis peccatoribus. Scimus quippe, & latronem e cruce pendentem, & Paulum in Chriſti diſcipulos furentem, & Magdalenam flagitiorum pleniſſimam brevi inſtanti donum juſtificationis a Deo obtinuiſſe. Sed haec prodigia ſunt, quae Deus, ut divitias miſericordiae ſuae patefaciat, interdum, ſed raro operatur. Qui haec inſolita, & rara exempla opponunt, ut propugnent impertiendam continuo *toties quoties*

Digitized by Google

ties Recidivis conſuetudinariis abſolutionem ſacramentalem, reſpondeant velim, num hac ſua abſolutione efficiant, ut poenitentes ejuſmodi ſint tot Pauli, qui infinitos labores ſuſtineant, & ſanguinem pro Deo fundant? Reſpondeant, num matronulae, quas illico abſolvunt, ſint poſt acceptam juſtificationem tot Magdalenae, quae reliquum vitae temporis in perpetuo planctu, lacrymis, jejuniis, ciliciis, & ſolitudine inſumant? Quid ergo inſueta divinae miſericordiae, & abſolutae omnipotentiae dona obtrudunt, quo praeproperam ſuam abſolvendi peccatores frequenter relapſos facilitatem defendant? Diſputatio itaque noſtra eſt de peccatorum frequenter relabentium juſtificatione, ſpectato communi, & conſueto divinae providentiae ordine: eoſque contendimus, brevi hora, & parvo tempore non mutari toto corde, & converti in Deum vere, ſed indigere praevia, plus minuſve diuturna praeparatione ad digne recipiendam abſolutionem.

II. Secundo animadvertendum eſt, hodiernam, & a pluribus ſaeculis invectam adminiſtrandi ſacramenti Poenitentiae diſciplinam diverſam eſſe ab illa, quae plurium ſaeculorum intervallo obtinuit in Eccleſia. Duobus primis Eccleſiae ſaeculis nulla praeſtituta fuit ſatisfactionis menſura. Orto Novatianorum ſchiſmate, quatuor poenitentium, nempe flentium, audientium, ſubſtratorum, & conſiſtentium inſtituti gradus fuere, quos percurrere lapſi debebant, antequam ad Sacramenta admitterentur. Poſt ſaeculum VII. in Eccleſia latina langueſcere haec diſciplina coepit, & tandem poſt longum tempus in deſuetudinem abiit. Nihilominus ſacrorum canonum poenitentialium notitiam inculcare, ut ſummopere utilem Confeſſariis, non praetermiſerunt Pontifices ſummi, & Epiſcopi doctrina, & ſanctitate praeſtantes. S.Carolus Borromeus canones iſtos ſimul collegit, & per decem Decalogi praecepta digeſſit. Sapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. *lib. 7. de Synodo cap. 62.* eorumdem diligens ſtudium commendat, & ipſo capitis titulo reprehendit mitioris ethices fautores, immerito (inquiens) nimiae ſeveritatis inſimulari conſtitutionem praeſcriben-

bentem ſacerdotibus aſſiduam lectionem antiquorum canonum poenitentialium .

III. Eccleſia quoque ipſa probavit , & probat ordinem impertiendi abſolutionem ante operum poenalium ſatisfactionem . Ideoque Romana Sedes ſub Alexandro VIII hanc theſim proſcripſit *num. 16. Ordinem praemittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia , aut inſtitutio Eccleſiae , ſed ipſa Chriſti lex , & praeſcriptio , natura rei idipſum quodammodo dictante* . Improbat tamen , & deteſtatur eadem Eccleſia abuſum illum abſolvendi lapſos conſuetudinarios ante opera *praeparatoria* , quibus ſe ad tantum Sacramentum diſponant , & argumenta perhibeant Confeſſariis propriae contritionis .

IV. In praeſentia itaque rationum momentis diſputatur , num ſpectato communi Providentiae ordine , Recidivi conſuetudinarii , ſeu frequenter poſt plures confeſſiones relapſi poſſint ſtatim , ac ad poenitentiae Tribunal accedunt , abſolvi, propterea quod *aliquem conatum* , *aliquam induſtriam emendationis* praeferant : ſeu potius differenda ipſis ſit abſolutio , donec operibus laborioſis certam exhibeant emendationis fiduciam . Praeterea illud etiam advertatur, fas eſt, dilationis iſtius tempus deſignari certo non poſſe . Illis menſis , iſtis trium hebdomadum , alteri unius hebdomadae , alteri unius , iſti plurium dierum probatio neceſſaria erit . Spectandi enim ſunt frequentes relapſus , vis pravae inclinationis , perſonarum conditio , fervoris impetus , emendationis vehemens deſiderium , & deliberatio robuſta vitam mutandi : & pro circumſtantiarum diverſitate diverſa ratio ineunda eſt .

V. PRIMUM itaque RATIONIS MOMENTUM differendae frequenter relapſis abſolutionis derivatur ex humanae conditione naturae , quae eſt , ut paulatim , & pedetentim de uno ad aliud in ſuis operationibus gradum faciat. Quis enim vel aliquam artem momento diſcit ? Quiſnam artifex etiam praeſtantiſſimus aedificium paucis horis conficit ? Quiſnam aegrotus gravi , & diuturno morbo infectus , ſtatim priſtinam ſanitatem recuperat ? Quid ? quod *nemo repente fit peſſimus* , ut com-

Digitized by Google

muni fertur proverbio, tametſi ad iniquitatem concupiſcentiae impetu feramur. Quis ergo ſibi in animum inducat, ut peccatores repetitis vulneribus ſauciati, & frequenti peccandi conſuetudine irretiti ad juſtitiam momento temporis evolent? Ordinem artis, & ipſum magis ordinem naturae, in quo res non ſubito, ſed ſenſim ad ſuam integritatem perveniunt, imitatur ordo gratiae, ut luculenter explicat Evangeliſta Marcus *cap.* 4. inquiens: *Sic eſt Regnum Dei, quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica: & cum produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis*. Haec eſt converſionis peccatoris recidivi praeſertim inveterati genuina imago, non probabiliſticis fucis adumbrata, ſed evangelica manu expreſſa. Paulatim, & gradibus ſuis peccatores ad juſtificationem perveniunt. Tantum donum non aſſequuntur ſine acri, & moleſtiſſima colluctatione partem inferiorem inter, & ſuperiorem: ſine vehementi conatu, & contentione. Quippe amor mundi, vanitatis, ſenſuum, & carnalium appetitionum a multo tempore in anima dominans, & tyrannidem exercens non evellitur, niſi poſt durum, moleſtumque certamen: quemadmodum nec corpus inveterato morbo laborans cito ſanatur; nec nigrae fabrorum manus una ablutione priſtinum nitorem acquirunt; ſed opus ſane eſt & longa medicaminis cura, & repetitis ablutionibus, ut ſanitas, & albedo recuperentur. Et, ut Scriptura ſancta teſtatur, quemadmodum fere Aetiops mutare pellem ſuam non valet: ita & peccatores a multo tempore relabentes, a peccandi conſuetudine difficile retrahuntur.

VI. Hanc rationem expendit Origenes *lib.6. in epiſt.ad Rom. cap.8*: inquiens: *Non eſt putandum quod SUBITO quis, ac ſtatim, ut voluerit, a ſervitute legis peccatis tranſlatus efficiatur in Chriſto Jeſu.... Quae utique dubium non eſt, quin uſu, & meditatione longa, & labore pervigili comparentur. Et ideo non otioſis haec accidere, aut ſegnibus certum eſt, ſed paulatim proficientibus*. Idque exper-

Digitized by Google

expertus confirmat s. Auguſtinus, cum diram illam luctam, atque inteſtinum, & longum bellum, quod in ſua converſione ſuſtinuit, duarumque voluntatum, ſcilicet carnalis, & ſpiritualis diuturnos conflictus deſcribit *lib.7. Confeſs. cap.5*: *Voluntas autem nova* (inquit) *quae mihi eſſe coeperat, ut gratis colerem... nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duae voluntates meae, una vetus, alia nova: illa carnalis, iſta ſpiritualis confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam*. Et in Pſalmi 6 Verba illa: *Laboravi in gemitu meo; lavabo per ſingulas noctes lectum meum*, fuſius deſcribit inteſtinam luctam Davidis exemplo, per lectum intelligens *voluptatem corporis, & omnem delectationem ſaecularem. Quam delectationem lacrymis lavat, qui ſe ab illa conatur expedire. Videt enim ſe damnare carnales concupiſcentias, & tamen delectatione tenetur infirmitas, & in ea libenter jacet, unde ſurgere niſi ſanatus animus non poteſt.... Quis non intelligit animam luctantem morbis ſuis?... Poſt laborem, & gemitum, & imbres creberrimos lacrymarum in illa temporum varietate effuſos, quia inane non poteſt, quod tam vehementer rogatur ab eo, qui fons eſt miſericordiarum.... Invenit ergo ſe ligatum difficultatibus cupiditatum, & non poſſe viam propter compedes ambulare. Incluſum ſe ſentit difficultate vitiorum, & tamquam muro impoſſibilitatis erecto, portiſque clauſis, qua evadat, ut recte vivat, non invenit..... Exclamat ad Dominum. Liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula iniquitatis, conſtituit in operatione aequitatis*.

VII. Quare autem facile non liberet, cauſam adjicit Auguſtinus ſubdens. *Potuit hoc Dominus ſine difficultate praeſtare. Sed ſi hoc ſine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnoſceremus. Si enim primitus, cum vellet, poſſet, & non ſentiret adverſum ſe obtinentes cupiditates, nec vinculis ſuis gravata anima collideretur, ſuis viribus tribueret, quod ſe poſſe, ſentiret*. Hanc rationem fuſius infra explicabo. Et ne erronea perſuaſio hominum mentes occupet, hanc graviſſimam, & laborioſiſſimam Recidivorum frequenter relaben-

tium difficultatem reſurgendi iterum explicat s. Auguſtinus, & enarrat graviſſimas pugnas, inteſtinos conatus, & impetus, quos ſuſtinuit ipſe, antequam, concupiſcentia cohibita, pravisbue conſuetudinibus reciſis, Deo adhaereret. *Velle* (ait lib.8. *cap.*5.) *meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido: & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (inde catenam appellavi) tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova, quae mihi eſſe coeperat, ut te gratis colerem, fruique vellem, Deus, ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.... Ego autem adhuc terra obligatus militare tibi recuſabam, & impedimentis omnibus ſic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum eſt. Ita ſarcina ſaeculi, velut ſomno aſſolet, dulciter premebat, & cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur .... Non enim erat, quod tibi reſponderem dicenti mihi*: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. *Et undique oſtendenti, te vera dicere, non erat omnino, quod reſponderem veritate convictus, niſi tantum verba lenta, & ſomnolenta: Modo, ecce modo, ſine paullulum. Sed* modo, *&* modo *non habebat modum. Et* ſine paullulum, *in longum ibat.*

VIII. Pulcherrima, & mirum in modum vivida eſt ſimilitudo, qua s. Doctor voluntatem peccatoris comparat voluntati hominis alto ſopore demerſi. Excitatur, & reſpondet, *modo*: & ſomni illicio preſſus continuo ſe ſomno derelinquit. Rurſum excitatur, & reſpondet, *ſine paullulum*. Iterum ſtimulatus dicit, *Modo ſurgam*, & ſtatim in ſoporem remergitur. Hoc lethargico fermento infecti, & hoc venefico ſopore obruti peccatores frequenter relabentes, ſonitu ſolemnium feſtorum, excitantur. Adeunt Confeſſarium, abſolvuntur, divino pabulo reficiuntur. Sed quia intus remanet voluptatis, & deliciarum veneficium, denuo relabuntur, quia imitari Auguſtinum detrectant.

Digitized by Google

ctant. Subdit enim *cap.7. Quibus ſententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut ſequeretur me conantem poſt te ire, & renitebatur.* Et iterum *cap. 8. In illa grandi rixa interioris domus meae, quam fortiter excitaveram .... Ego fremebam ſpiritu, indignans turbolentiſſima indignatione, quod non irem in placitum, & pactum tecum, Deus meus, in quod eundum eſſe, omnia oſſa mea clamabant ..... Tam multa ego feci, ubi non hoc erat velle, quod poſſe, & non faciebam, quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat, & mox, ut vellem, poſſem.*

IX. Recogites velim, Chriſtiane lector, s. Auguſtinum non fuiſſe *Recidivum conſuetudinarium*, ſeu frequenter poſt plures confeſſiones prolapſum. In prima ſui converſione haec immania bella, hos graviſſimos conflictus, fremitus, & ejulatus expertus eſt, antequam donum juſtificationis obtineret. Nam etſi in vitiorum ſentina ſe ſe volutaverat: at de non amplius peccando promiſſa non fregerat: at repetitis ſacrilegiis non ſe polluerat. Ut veritatis lucem aſpexit, illico ſecum in arenam deſcendit, rixabatur, fremebat, ululabat, lacrymarum imbrem continenter effundebat, & ſua collidi oſſa ſentiebat. Quid ad haec Theologi Probabiliſtae, & Doctores Caſuiſtae? Quam de Recidivis conſuetudinariis ſpem concipiunt? Continuo ne iſti, ac *aliquem conatum*, *aliquam induſtriam* adhibuerint, juſti fient? Noverint, ea omnia, quae de ſe ipſo Auguſtinus teſtatur, praeter propter contingere peccatoribus, praecipue conſuetudinariis, qui ſincere corrigere ſuos mores velint. Subdit enim *expoſ. in pſalm.104. Quidquid loquor agnoveris in te. Noli cogitando, quaſi remanere in te, & putare quod in te ſolo contingit: ſed crede haec contingere in omnibus, aut prope in omnibus, qui veniunt ad hunc populum, & de manu inimicorum praetioſo ſanguine redimuntur. Omnes eodem peccati originalis veneno mortui ſunt: omnes plus, minuſve eadem ſuperbia, concupiſcentia, & cupiditate opprimuntur.*

X. Ita ceteri Patres s. Auguſtini voce loquuntur: eamdemque defendunt, & Chriſtianis rationem ſuadent. Unum pro-

Digitized by Google

proferam s. Thomam Aquinatem, in quo omnium mentes ſemper liceat intueri, & juſtificationis initium, progreſſum, & complementum luculentius agnoſcere. Docet ergo naturali ratione, gravem morbum abſque miraculo illico non ſanari. Et quemadmodum momentanea decumbentis ſanitas loco miraculi habetur: ita ſine miraculo inſtantanea juſtificatio non comparatur; ſed gradibus opus eſt, & ordinatus tranſitus ab imperfecto ad perfectum requiritur. *Tertio modo*, inquit, *in operibus miraculoſis invenitur aliquid praeter ſolitum, & conſuetum ordinem cauſandi effectum: ſicut cum aliquis infirmus ſanitatem perfectam aſſequitur ſubito, praeter ſolitum curſum ſanationis, quae fit a natura, vel arte: & quantum ad hoc juſtificatio impii quandoque eſt miraculoſa, & quandoque non. Eſt enim iſte communis, & conſuetus curſus juſtificationis, ut, Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum. Primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum ad perfectam deveniat, quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ſicut Auguſtinus dicit. Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut ſtatim quamdam perfectionem juſtitiae aſſequatur, ſicut fuit in converſione Pauli, adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione, & ideo converſio Pauli, tamquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter* (1.2.*q*.113. *a*.10.) Opus non eſſet s. Thomae interpretes conſulere, cum ipſius adeo ſenſus pateant. Praeſtat tamen Suareſium, & Vaſqueſium Soc. Jeſ. celebres Theologos audire. „ Duo, *ait Suarez lib.* 8. *de gratia cap.* 23. *aſſert.* 1. *n.* 3. breviter dicenda ſunt.
„ Primum eſt, ordinarie, & ex communi lege praeparationem
„ peccatoris ad juſtitiam per Dei vocationem, & actus ipſius
„ hominis *cum ſucceſſione temporis fieri*, atque in ea hunc
„ ordinem ſervari, quod mutatio incipit divina vocatione,
„ ſeu inſpiratione, & *paulatim procedit* ab imperfecto ad per-
„ fectum, donec conſummetur ultima diſpoſitio. Ita eruitur
„ ex s. Thoma.... & ex clara doctrina Concilii Tridentini
„ *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. & 7. Ratio eſt, quia.... motio divina ſecun-
„ dum ordinarium curſum accomodatur conditioni hominis,
„ quae

Digitized by Google

„ quae eſt indigere tempore ad recogitandum, & deliberan-
„ dum, *praeſertim in rebus arduis, & difficilioribus*.

XI. Vaſquez vero in 1. 2. *s. Thomae qu.* 113. *diſp.* 110. *cap.*7. *num* 47, & 48. „ In hoc caſu (*inquit*) citra dubium „ fatendum eſt, eſſe aliquod aedificium animae ſpirituale, „ quod *paulatim* conſurgit, quouſque ad cacumen charitatis, „ & juſtificationis pertingat.... Et in hoc aſſimilatur profe- „ ctus hominis ſpiritualis aedificio materiali, *quod paulatim* „ *erigitur ſupra fundamentum*. In quo quidem aedificio non- „ dum conſummato, ſed paulatim aſſurgente primi lapides „ reipſa exercent munus fundamenti. Id quod in aedificio ſpi- „ rituali explicuit nobis Paulus *Epheſ.* 2. his verbis. *Super-* „ *aedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum,* „ *ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu: in quo omnis aedifica-* „ *tio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino, in quo &* „ *vos coaedificamini in habitaculum Dei in ſpiritu.* Nam quem- „ admodum in aedificio templi materialis, *cum paulatim* eri- „ guntur parietes, nondum dicitur templum ad habitandum, „ quouſque perveniatur ad cacumen aedificii.... ſic etiam „ homo *cum paulatim diſponitur ad juſtificationem ex funda-* „ *mento fidei*, nondum dicitur aedificatus in templum, & ha- „ bitaculum; antequam ad culmen perveniatur, nempe ante „ charitatis adventum „. Aut ergo miracula in Recidivorum juſtificatione Deum operari fateri debent mollioris Ethices patroni: aut concedant, neceſsum eſt, converſiones Recidivorum congruam, & opportunam exigere praeparationem.

XII. Sed jam ALTERUM hac de re proferamus RATIONIS MOMENTUM. Juſtificatio impii eſt maximum Dei donum. Porro hic eſt conſuetus divinae providentiae ordo, ut haec ſingularia dona Deus non diſpenſet, niſi iis, qui precibus, lacrymis, jejuniis, & laborioſis operibus ad ea ſuſcipienda ſe ſe praeparant. *Petite, & dabitur, pulſate, & aperietur vobis. Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi dico vobis quaerent intrare, & non poterunt.* Qui ſunt ii, qui intrare non poterunt? Illi qui deſcribuntur ab Authore *citatae Diſſerta-*

tio-

tionis, nempe qui *aliquem* conatum, *aliquam* induſtriam adhibent, ut ſe convertant, qui vellent duobus Dominis ſervire, Deo, & Mundo: qui languida, & debili voluntate emendationem proponunt? Et ſane ſi vel ipſae terrenae dignitates ſupremae, non niſi magnis laboribus, comparantur; nunquid praeſtantiſſimum juſtificationis donum *aliquo* tantum *conatu*, *aliqua* tantum *induſtria* aſſequentur peccatores relapſi? Caſuiſtae illi, qui talia docent, pervertunt divinae providentiae ordinem, injuriam Deo inferunt, peccati horrorem auferunt. Quid? Clamat s. Auguſtinus. Si tam facile ſanari peccatores toties relapſi poſſent, non ſingulare, ſed nullius momenti eſſet converſionis Chriſtianae donum. Ludus peccare eſſet, & poenitentia jocus, clamant Patres omnes. Magnine fiunt infirmitates illae, quae facillimo remedio curantur? Quem horrorem concipere de peccato poſſunt Chriſtiani, ſi videant aeque facile remitti, & perpetrari? Quare idem s. Auguſtinus *in pſal. 6.* ait: *Quis non intelligat ſignificari* (per haec verba: Et tu Domine uſquequo?) *animam luctantem cum morbis ſuis, diu autem dilatam a medico, ut ei perſuadeatur, in quae mala ſe peccando praecipitavit? Quod enim facile ſanatur, non multum cavetur. Ex difficultate autem ſanationis, erit diligentior cuſtodia receptae ſanitatis.*

XIII. Hinc eſt, quod Eccleſia, licet exteriorem ritum, & publicae poenitentiae diſciplinam variaverit: nihilominus poenitentiae ſpiritum immobilem cuſtodivit, & adverſus haereticos proteſtantes, qui opera tum *praeparatoria*, tum *ſatisfactoria* impudentiſſime pernegant, omni argumentorum genere, & perpetua Eccleſiae traditione invicte eadem propugnavit. Quare in Concilio Tridentino celeberrimus Petrus de Soto Ord. Praed. electus fuit, ut catholicam de operibus praeparatoriis ad juſtificationem neceſſariis doctrinam exponeret adverſus Confeſſionem Lutheranam a Legato Ducis Wittembergenſis Concilio Tridentino anno 1552. oblatam. In hac Lutherana Confeſſione negabatur neceſſitas precum, jejuniorum, aliorumque piorum operum. Quem errorem profligavit Auctor noſter, cujus verba infra dabo.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Duabus vero potiſſimum cauſis Eccleſia exigit haec opera praeparatoria. *Prima* ut peccator ſuis laborioſis operibus impetret a divina miſericordia ſingulare converſionis donum, ut curare incipiat ſua vulnera, praeparetque animam ſuam ad divinam juſtificationem: ut placare divinae Juſtitiae vindictam ſatagat: ut horrorem peccati, quod eſt tantorum malorum origo, concipiat. Ideoque licet ſeveriſſimam publicam poenitentiam pro publicis criminibus quatuor gradibus diſtinctam, quae plurium ſaeculorum intervallo obtinuit, aliquanto temperaverit Eccleſia, non tamen prorſus abſtulit, ut antea demonſtravimus. Spiritum namque poenitentiae ſervat immobilem, omni diverſitate ſublata. *Secunda* eſt, quod Eccleſia ſecreta cordium non penetrat, neque de iiſdem judicium profert, ideoque peccatoribus frequenter poſt plures confeſſiones relapſis fidem prudenter non adhibet, eorumque dolorem, quem oſtentant, ſincerum eſſe, & propoſitum impoſterum non peccandi, quod jactant, eſſe ſolidum. Nam cum a fructibus, ut Chriſtus ipſe docet, cognoſcendus ſit cujuſque animus, jure Eccleſia ſemper poſtulavit ab iſtis opera praeparatoria, unde dignoſci ſincera emendationis voluntas poſſit.

XV. Non me latet, Authorem *citatae Diſſertationis* aſſerere *pag.*13. adhibendam eſſe fidem Recidivis teſtantibus ex animo, ſe habere firmum emendationis propoſitum. Sed hunc errorem infra pateſaciam, quoniam non poenitentes, ſed confeſſarii iſtius doloris, & propoſiti judices conſtituti a Deo ſunt, & iſtis ligandi, & abſolvendi, & diſcernendi, quinam ſint digni, ut abſolvantur, aut ut ligentur, collata poteſtas eſt.

XVI. TERTIUM, & ultimum efficaciſſimum RATIONIS MOMENTUM, quo recidivorum non momento temporis converſionem fieri, proindeque iis eſſe abſolutionem ante multa, & diuturna praeparatoria opera, totumque conatum denegandam oſtenditur, iſtud eſt. Peccatores Recidivi toto impetu, & impotenti libidine feruntur in flagitia. Iſtorum animae mancipia ſunt ſcelerum, & pravarum inclinationum. In iſtos amor ſaeculi dominatur, & tyrannicum exercet

I impe-

imperium. Siquidem, aut ſacrilegae fuerunt tot iſtorum confeſſiones, aut validae, & ſanctae? Si primum, ergo Poenitentes iſti larvati ſunt, & ſceleſtiſſimi hypocritae. Si ſecundum, ergo divina gratia, & uberrima caeleſtium donorum copia inſtructi, & roborati *frequenter poſt plures confeſſiones relabuntur in flagitia mortifera*. Ergo in iſtis praevalent amor creaturarum, voluptatum carnalium appetitiones, divitiarum cupiditates. Ergo *non aliquo*, ſed toto, & ferventiori conatu, non *aliqua*, ſed omni, & vehementiſſima induſtria ſatagere debent, ut ſuperent, & victores fiant oppoſiti vehementiſſimi impetus, quo in vitia gravia abripiuntur. Alioquin vitiorum amor ſemper praevalebit *alicui conatui*, *alicui induſtriae* ad emendationem. Nam aut iſti ex malitia obfirmata relabuntur, aut ex humanae naturae infirmitate. Si primum; ergo ſunt obſtricti, & obfirmati in iniquitate, atque adeo Sacramentis indigni. Si ſecundum: ergo quo major eſt infirmitas, eo efficaciori, & validiori indigent medicina, atque potentiori remedio, & longiore curatione. Quis enim audeat aſſerere, maximam Recidivorum imbecillitam, & inconſtantiam *aliquo* tantum *conatu*, *aliqua induſtria* poſſe curari, vinci poſſe? Ergo doctrina *Diſſertationis* citatae hoſtiliter pugnat cum ipſo rationis lumine, cum ſenſu communi.

XVII. Breviter. Vel recidivi in prima confeſſione mortalium delictorum *aliquam induſtriam*, *aliquem conatum* praebuerunt: aut ſecus. Si ſecundum: ergo ſacrilega confeſſio fuit, cum nullum emendationis ſignum datum ſit. Si primum: ergo ille *aliqualis* conatus, illa *aliqualis* induſtria non ſufficit poſt plures relapſus, quoniam relapſus iſti poſt plures confeſſiones ſequentes evidentiſſimum argumentum perhibent, hunc *aliqualem conatum*, *hanc aliqualem induſtriam* eſſe meras emendationis larvas, & puras poenitentiae illuſiones. Ergo differenda abſolutio eſt, donec operibus contritio, & emendatio confirmetur. Audiat pro coronide iſtius capitis quiſquis eſt Auctor *cit. Diſſertationis* doctiſſimum Card. Aguirium *Diſſ.* 8. *in XI, & XII. Canonem Concilii Tolerani III. excur.* 2. *num.* 152.

Quid,

Quid, quod vel Moſcovitae, barbari licet, ac ſchiſmatici, hoc ipſo ſaeculo, antequam confiteantur, ſe ſe per octo dies continuos, auſtero, & rigido jejunio affligunt, nihil aliud ſumentes, quam panem induratum, & vilem, acidumque potum: ut proinde viſcerum dolores, & invalitudinem contrahant: teſtante id de viſu, & habitatione cum iis diuturna Adamo Olecrio lib. 3. itineris Perſici cap. 3.

Num. 153. *Praedictum ordinem reconciliandi peccatores poſt Baptiſmum lapſos non niſi praeviis macerationibus corporis, & afflictionibus animae inſtauratum hiſce canonibus pro quibuſdam Eccleſiis Hiſpaniae tradiderat optime, & generatim pro tota Eccleſia s. Leo Papa Epiſtola nonageſima prima ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum.*

Num. 159.: *Injuſtiſſima plane eſt eorum querela, & quae horrori eſſet toti Antiquitati Chriſtianae, ſi contigeret tunc audire quemquam vociferantem, & conquerentem de ſatisfactione ſibi injuncta ante, aut poſt abſolutionem, quae nec ſecundum durationem temporis, neque ſecundum acerbitatem aequaret centeſimam partem ejus poenae, quam imponebant canones illi veteres Dei Spiritu conditi, & totius mundi reverentia conſecrati, ut loquitur s. Leo Papa. Atqui ſatisfactiones imponi ſolitae hoc tempore ante, vel poſt abſolutionem pro gravibus peccatis (etiam ab iis Confeſſariis, qui rigidi habentur, & crudelitatis incuſari ſolent, tamquam conſcientiarum carnifices) non aequarent, ne centeſimam quidem partem ejus poenitentiae, quam imponebant canones illi nec penes durationem, nec ſecundum acerbitatem, ut patebit conſideranti. Injuſtiſſima itaque ejuſmodi impiorum, & pſeudo poenitentium querela eſt.*

Digitized by Google

CAPUT NONUM

Refelluntur ſophiſmata citatae Diſſertationis ex Doctorum auctoritatibus congeſta.

SAtis me arbitror explicaſſe in ſuperioribus Capitibus, & omni probationum genere demonſtraviſſe, verae juſtificationis, & converſionis Chriſtianae characteres proprios, & effectus eſſe, ut impoſterum aut raro, aut nunquam peccandi locum relinquat: propterea que non ſine magnis noſtris laboribus, boniſque operibus praeparatoriis comparari tam ſummum bonum communiter poſse. At cum intelligam recidivos conſuetudinarios frequenter in mortalia crimina poſt plures confeſſiones relapſos ad Sacramentum poenitentiae accedere, & facile abſolvi ſolere, illud perinde oſtendi, ejus generis homines nec tunc ſane habere, nec habuiſse antea verum dolorem, & firmum emendationis propoſitum, proindeque ſacrilegas extitiſse priores confeſſiones. De priorum quidquid ſit confeſſionum valore, nihil moror. In eo verſatur praeſentis controverſiae caput, an Confeſsarius (exceptis peculiaribus quibuſdam caſibus) de recidivis hiſce conſuetudinariis prudens formare judicium poſſit, eſse vere contritos, ſatiſque diſpoſitos, ut rite abſolvantur, ex eo, quod praebeant *aliquem conatum, aliquam induſtriam* ſeſe emendandi. *Citatae diſſertationis* Author affirmat, obtentu quarundam Doctorum auctoritatum, quas ego facile ſolvam.

II. Itaque primum obtrudit P. Alphonſum MANRIQUE Dominicanum, atque ita loquitur *ſuae Diſsertationis* §. *III. pag.* 17. *Communiter ferme DOCTORES omnes aliter agendum eſse a Confeſsario cum recidivis hactenus tradiderunt, ac tradunt. Equidem proferam primo eorum doctrinam veluti in compendium redactam a R. P. Fr. Alphonſo Manrique ex Ordine Praedicatorum .... Hic in ſua nupera Summa Morali Romae edita anno* 1726. *ſic loquitur*. „ *Sunt* ne abſolvendi, qui ex „ mera fragilitate in eadem peccata *ſaepe relabuntur*?

„ Re-

„ Reſpondeo: Certum eſt, etiam praeciſe loquendo abſo-
„ tionem illis dari poſse TOTIES QUOTIES in ipſa peccata
„ relabuntur, dummodo cum vera contritione, & firmo pro-
„ poſito non amplius peccandi ad poenitentiam accedunt, ut
„ declaratum fuit in Tridentino ſeſs.14. cap.3., quia ut ait
„ Navarrus in Manuali cap.3. Frequens peccati Recidiva non
„ eſt SEMPER argumentum neceſsarium, quo judicari poſſit
„ poenitentiam, ſeu contritionem non eſse veram, ſed eſt
„ tantummodo maximae fragilitatis, & inconſtantiae. Nec
„ ad recipiendam abſolutionem requiritur, ut poenitens non
„ amplius in futurum peccet, ſed ut amplius peccare nolit.„

III. Dum Parochi non admodum docti hanc emphaticam phraſim legunt: *Communiter ferme Doctores omnes ita tradiderut, ac tradunt*: caput inclinant, & putantes iſtos eſse Doctores Eccleſiae, eorum doctrinam, ut canonem recipiunt. *Doctorum* iſtorum doctrinam *in compedium redactam* tradit *Doctor* P. Alphonſus Manrique Dominicanus. Ordo Praedicatorum non modo loco Doctoris non habet hunc collectorem, ſed ut Caſuiſtam laxioris Ethices Patronum nullius nominis, nullius auctoritatis rejicit. Idque adfirmo, quia non pro domo noſtra, ſed pro Chriſtianorum ſalute ſcribo; & ſemper ſcripſi AB OMNI PARTIUM STUDIO, quoad potui, alienus. Ne vero gratis haec a me aſseri quiſquam ſuſpicetur, ſub examen revoco *tanti* Doctoris teſtimonium,' ut ex iſtius doctrina, qui ſint alii Doctores in hac controverſia ab eo in compendium redacti, dignoſci poſſit.

IV. Et primum Doctor iſte Caſuiſta ſtatum quaeſtionis ignorat. *Certum eſt*, inquit, *abſolutionem illis dari poſſe toties quoties in ipſa peccata relabuntur, dummodo cum vera contritione, & firmo propoſito non amplius peccandi ad poenitentiam accedant, ut declaratum fuit in Trident. ſeſs.* 14. Ut ab ultimis verbis initium capiam, Concilium Tridentinum nec verbum ibi habet de Recidivorum abſolutione. Quod autem peccator vere contritus, & firmo propoſito non amplius peccandi munitus abſolvi poſſit, etiamſi innumera ſcelerum multitudine eſset

Digitized by Google

eſset onuſtus, nemo Theologorum abſolute in diſputationem vocat. Illud eſt noſtrae diſputationis argumentum, utrum Confeſsarius judicare prudenter poſſit, frequenter poſt plures Confeſſiones relapſos habere & veram contritionem de patratis peccatis, & firmum propoſitum non peccandi de cetero. Hoc negant Scripturae Sanctae, negant Patres omnes, qui ſunt veri Doctores Eccleſiae: nec unus adeſt, quo id probet noſter *Doctor*.

V. Sed quoniam ad Tridentinum provocat, agnoſcat Concilii mentem ex dictis ſupra Cap. IV. num. VII. & cap. VI. numer. XXII. ubi oſtendimus, quod Concilium *poenitentiae fructum* eſse ſtatuit *novitatem quandam, & integritatem, ad quam tamen ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus pervenire non poſſumus*; adeout merito cum Patribus eam appellet *laborioſum quendam baptiſmum*. Quomodo ergo recidivi conſuetudinarii poſt plures confeſſiones relapſi prudenter haberi poſſunt rite diſpoſiti ad Sacramentum poenitentiae, ſi ad *novitatem illam, & integritatem* neque pervenere hactenus, nec tunc quidem pervenire poſſe videntur, cum ſine magnis fletibus, & laboribus accedant? Quomodo iſtorum poenitentiam laborioſo baptiſmo comparabimus, ſine quo poenitentiae fructus non percipitur?

VI. Scio, quid reponi a quibuſdam caſuiſtis ſoleat. Dicunt enim, requiri magnos noſtros fletus, & labores ad conſequendam eam novitatem, & integritatem, quam conſequimur per Baptiſmum; plenam ſcilicet remiſſionem poenae temporalis. Sed hoc vaniſſimum commentum refellitur ejuſdem Tridentini verbis. Nam duae diſtinguuntur novitates, & integritates. Altera ab initio converſionis uſque ad juſtificationem: altera a juſtificatione uſque ad plenam temporalis poenae remiſſionem. Quis tam Scripturarum, & Patrum ignarus eſt, ut effutiat, pro ſola temporalis poenae remiſſione exigi a Tridentino magnos fletus, & labores? Tridentinum aſserit laborioſum Baptiſma a Patribus poenitentiam vocari. Numquid Scripturae, & Patres poenitentiam vocant laborioſum baptiſma ob-

tem-

Digitized by Google

temporalis poenae remiſſionem ? Haud ita ſane. Nam Lucas *cap.* 3. de Joanne Baptiſta , inquit : *Venit .... praedicans baptiſmum poenitentiae in remiſſionem peccatorum* ; non poenae temporalis . Subdit idem Baptiſta , ut *faciant fructus dignos poenitentiae* . Quinam faciant ? Certe non juſti , qui tamen poenae temporalis rei erant, ſed peccatores, qui poenae aeternae ſubjecti erant . Ait enim : *Genimina viperarum* , *quis oſtendit vobis fugere a ventura ira ? Facite ergo fructus dignos poenitentiae* . Fructus ergo poenitentiae digni ſunt ii , quibus poena aeterna remittitur . Idque confirmat Chriſtus Lucae cap. 13. *Si poenitentiam non egeritis* , *omnes ſimul peribitis* . Iſte eſt legitimus ſenſus , quem ſemper intellexit Eccleſia ; ac nemo , niſi deliret , perſuadere ſibi poterit, Tridentinos Patres docuiſſe, Deum *ſine magnis noſtris fletibus* , *&* *laboribus* remittere quidem culpam mortalem , & poenam aeternam , nequaquam vero ſine illis remittere poenam temporalem : & *id quidem Divina exigente juſtitia* . Numquid juſtitia divina ſine magnis fletibus , & laboribus remittit culpam mortalem , & poenam aeternam : & abſque illis non remittit poenam temporalem ? Haec ne recta divinae juſtitiae ratio , ut pro impii juſtificatione , quae eſt maximum opus Dei , non requirat neque magnos noſtros fletus , neque opera laborioſa ; exigat vero pro poena temporali , quae comparata cum juſtificatione adeo exigua eſt , ut fere nihil ſit ? Ergo aperte contradicunt Concilio , qui citatum ejus locum detorquent ad poenam temporalem .

VII. Sed & rationes adfert Concilium *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. , ob quas Eccleſia poſtulat generatim in converſione peccatorum opera tum praeparatoria , tum ſatisfactoria . Prima ratio eſt ; quod *Divinae juſtitiae ratio exigere videtur* , *ut aliter ab eo in gratiam recipiantur* , *qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint* : *aliter vero qui ſemel a peccati* , *&* *daemonis ſervitute liberati* , *&* *accepto Spiritus Sancti dono* , *ſcientes* , *templum Dei violare* , *&* *Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint* . Luculenta eſt Tridentini doctrina de *recipiendis* peccatori-

toribus, qui poſt baptiſmum peccarunt, *in gratiam*. Altera ratio eſt, quod *divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut, occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi in Spiritum Sanctum in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die irae*. Tertia ratio eſt, quod: *Proculdubio magnopere a peccato revocant, & quaſi fraeno quodam coercent hae ſatisfactoriae poenae*. Quarta ratio eſt, quod: *Cautiores, & vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt*. Quinta ratio eſt, quod *medentur quoque peccatorum reliquiis*. Sexta ratio eſt, quod: *Vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt*. Septima ratio eſt, quod *Securior nulla via in Eccleſia Dei umquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam, ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent*. Octava ratio eſt, quod: *dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu .... conformes efficimur*. Rurſus eadem *ſeſſ. cap.* 4. Attritionem ait, ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam diſponere, & continuo ſubdit; *Hoc enim timore concuſſi Ninivitae ad Jonae praedicationem, plenam terroribus poenitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt*.

VIII. Tandem Concilium *ſeſſ. 6. cap.* 5. hunc praefigit titulum: *De neceſſitate praeparationis ad juſtificationem in adultis, & unde ſit?* Ex quo ſolo titulo quiſque colligit peccatorem *ſubito* non juſtificari, ſed *praeparatione* indigere ad juſtificationem. Et titulus *cap. 6.* eſt. *Modus praeparationis*. Deinde *cap.* 8. explicat gratuitam eſſe juſtificationem, inquiens: *Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae juſtificationis gratiam praecedunt, ſive fides, ſive OPERA ipſam juſtificationis gratiam promeretur*. Tandem cap. 13. animat juſtos ad perſeverandum in gratia, his verbis. *Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant, ne cadant, & cum timore, & tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, in oblationibus, in jejuniis, & caſtitate*.

Digitized by Google

tate. Si de peccatoribus generatim loquens Concilium, eos ad juſtificationem magnis laborioſis operibus indigere, juſtos vero, ad perſeverantiam, decernit: quanto magis ex Concilii mente putamus neceſſaria eſſe hujuſmodi opera Recidivis conſuetudinariis poſt plures confeſſiones relapſis? Quapropter cum ea communiter non praeſeferant, quo modo judicare prudentes valet confeſſarius, eſſe rite diſpoſitos ad obtinendam abſolutionem?

IX. Opponunt alii ex Caſuiſtis ejuſdem Tridentini auctoritatem ex *cap.* 14. *ſeſſ.* 6. ubi dicitur: *Itemque ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitae exercitia, non quidem pro poena aeterna, quae vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, ſed pro poena temporali*. At nihil vanius opponi poſſe reſpondeo. Quis enim opera laborioſa praeparatoria exigit *pro culpa*, & *aeterna poena jam remiſſa*, ut Concilium loquitur? Sermo nunc eſt de praeparatione, quae communiter requiritur ad conſequendam juſtificationem *culpae nondum remiſſae*, ſeu de praeparatione ad abſolutionem obtinendam pro patratis flagitiis. Quando culpa, & poena aeterna remiſſa eſt, tum ſatisfaciendum ſolum eſt pro poena temporali. At nunc, ut dixi, diſputatur de operibus praeparatoriis laborioſis, quae communiter praecedere juſtificationem debent; quaeque cum, generatim loquendo, non exhibeant peccatores maxime conſuetudinarii, idcirco prudenter non valet confeſſarius judicare, eos vera contritione, firmoque propoſito inſtructos eſſe.

X. Itaque ad Concilii Tridentini mentem quod attinet, rem prorſus confectam eſſe video tum ex ejuſdem verbis, & Interpretibus, & Theologis, qui adfuerunt, tum ex ſolutionibus objectarum, quamvis leviſſimae ſint, difficultatum. Adde, quod ſuper hoc ipſo juſtificationis negotio diſputatum quoque acerrime eſt labente ſeculo XVII. inter Theologos Univerſitatis Lovanienſis, praecipue vero inter Joannem Opſtraet, & Martinum Steyartium: Et quamvis Steyartius negaret peccatorem ſemel lapſum ob fragilitatem in fornicationem

operibus eſſe laborioſis praeparandum ad juſtificationem, hoc tamen conceſſit de Recidivis conſuetudinariis. Immo cenſuram Epiſcopi Atrebatenſis, qui laxas de poenitentia *P. Franciſci Jacops* opiniones proſcripſerat, defendit in opuſculo edito anno 1677., & propugnat, hos peccatores conſuetudinarios probandos eſſe, ut dolorem, quem ore proferunt, operibus patefaciant.

XI. Redeo nunc ad Doctores, quos allegat in ſui favorem Author *Diſsertationis*, expendendos, & ad varias doctrinas, quas ex iiſdem trahit, refellendas. P. Manrique igitur, qui docet *abſolutionem illis dari poſse toties, quoties in peccata relabuntur, dummodo cum vera contritione, & firmo propoſito non amplius peccandi ad poenitentiam accedant*, quaeſtionem, de qua eſt difficultas, minime ſolvit, ſed potius involvit. Nam unde cognoſcere Confeſsarius poteſt, frequenter relapſos poſt plures Confeſſiones eſse *vere contritos*? Unde eruere prudenter valet, habere iſtos *firmum propoſitum* impoſterum non peccandi? Ediſserat nobis. Num ex frequenti relapſu? Num ex verbis Recidivorum? At hoc proſcriptum ab Eccleſia eſt in propoſitione 60. Innoc. XI. *Dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem*.

XII. Damnatur propoſitio, inquit author *Diſsertationis pag.* 13. cum poenitens *praeciſe ore profert ſe dolere*. Secus vero, cum *animo affirmet ſe dolere, & proponere*. At haec diſtinciuncula cavillatoria eſt. Forte enim putas, in praefata propoſitione illos fuiſse damnatos, qui abſolverent poenitentes, *dummodo ore proferrent, ſe dolere*, agnoſcerent autem eſse animo indiſpoſitos, aut ipſi id faterentur? Vehementer erras; tum quia nemo aliorum receſsus animorum agnoſcit, nemo ſecreta cordium perſcrutatur; tum quia poenitentes ad tantum Sacramentum non accedunt ſcientes non dolere, & retinere animum, & propoſitum peccandi. Ergo qui damnantur ſunt ii, qui fidem verbis poenitentium praeſtandam aſsererent; nullum autem aliud prudens fundamentum haberent judicandi, eos ex animo dolere. Et cum fundamentum aliud haberi communi-

ter

ter non poſſit niſi ex operibus, idcirco ſatis eſt frequens poenitentium relapſus in peccata mortalia, ut Confeſsarius prudenter judicare debeat, eos ex animo non dolere, proindeque iis eſse abſolutionem ſuſpendendam. Et revera cum Sacramenta Chriſti, ut ſupra dictum eſt, vires efficaciſſimas praebeant, ne juſtificati relabantur in patrata ſcelera; ideo Confeſſarii, qui nequeunt occultam animi contritionem, & propoſitum dignoſcere intus in corde, videntes fructus tot Confeſſionum, & tot Sacramentorum Euchariſtiae nullos eſſe, profecto ſolidum habent fundamentum judicandi, Recidivos iſtos conſuetudinarios, ne inpoſterum quidem, veros fructus poenitentiae daturos, proindeque nec firmum propoſitum, nec verum dolorem tunc temporis habere. Qui enim toties fidem datam fregerunt, ſinceri minime credendi ſunt; ideoque vel in quolibet temporali negotio, minime adhibetur fides ſaepius mentienti; nec ipſi Probabiliſtae pecunias ſuas fiderent mutuatariis illis, qui frequenter reſtituere negligunt, & ſaepe decipiunt.

XIII. Nec minus leve eſt, quod adjicit Manrique: *Frequens peccati recidiva non eſt ſemper argumentum neceſſarium, quo judicari poſſit poenitentiam, ſeu contritionem non eſse veram, ſed eſt tantummodo maximae fragilitatis, & inconſtantiae.* Nam modo non diſputatur, num *ſemper* frequens relapſus ſit argumenmentum falſae contritionis. Eventus inſoliti contingere valent ep. *g.* mortis articulus, qui temporis dilationem non admittant. Ineptiſſime igitur adjicitur illud *ſemper*, ut laxa doctrina quoquomodo obtegatur, & veritas circumveniatur, qua edocemur, frequentes relapſus eſſe *communiter* indicia falſae contritionis, ut teſtantur omnes Scripturae, & Patres - At fragiles ſunt Recidivi, infirmi ſunt. Quid inde? An juſtificatio chriſtiana infirmitatem non curat, fragilitatem non roborat? Quis neget, Sacramenta Poenitentiae, & Euchariſtiae digne ſuſcepta & gratiam ſanctificantem, & auxilia peculiaria, & uberrimam caeleſtium chariſmatum copiam conferre juſtificatis ad omnes mundi, & diaboli tentationes ſuperandas? Si haec

omnia fidei dogmata ſunt, fateantur oportet, Recidivos iſtos ex obfirmata malitia reiterare crimina mortifera. *Quid? Unde hoc monſtrum? Imperat animus ſibi, & non fit, quod imperat. Ergo non ex toto corde imperat*, argumentatur Auguſtinus. Qui vere juſtificantur, ſunt filii Dei, & Deus habitat in iiſdem, & manſionem apud eos facit, clamat Evangeliſta Joannes *cap*. 3. *Filioli nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam juſtus eſt.... Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt: in hoc manifeſti ſunt Filii Dei, & Filii Diaboli*. Haec non ſenſu calviniano, ſed catholico, ut explicui, intelligenda ſunt.

XIV. Ejuſdem roboris ſunt, quae ibidem addit Manrique: *Nec ad recipiendam abſolutionem requiritur ut poenitens amplius in futurum non peccet, ſed ut amplius peccare nolit*. Hoc *nolle* impoſterum peccare, ſatis ſuperque oſtenſum eſt, deeſſe Recidivis frequenter poſt plures Confeſſiones relabentibus. Alia, quae ex Manrique tranſcribit Author *cit. Diſsert.* non expendo, quia partim inepta ſunt, partim extra controverſiam noſtram. Quae ſubjicit ibidem *pag.* 18. *Diſsertationis*, conſideratione digna ſunt. *Hactenus* (inquit) *P. F. Manrique, recte, compoſiteque communem Doctorum hac ſuper re doctrinam in breve coegit*. Sed doctrina Doctoris Manrique falſa eſt. Ergo falſa quoque erit aliorum Doctorum, qui citantur, doctrina. Nulla hic ad evadendum rima. Recte, compoſiteque Doctor Manrique communem aliorum doctrinam in breve collegit. Ergo ut nequit Manrique, ita nequit a laxitate, & falſitate communis iſtorum Doctorum doctrina purgari.

XV. Opponit ſecundo loco author *cit. Diſs.* authoritatem P. Franciſci SUAREZ, qui revera Doctor Theologus eſt, & quem ego ſemper magni feci, & facio. Ceterum ſi quid humani paſſus & ipſe eſt in hac cauſa, non propterea decreſcit tanti Theologi exiſtimatio. Verba P. Suarez allegantur in *cit. Diſs. pag.* 13. *& pag.* 19. *De quo propoſito CREDENDUM eſt poenitenti, non obſtante quacumque praecedenti frequentia, & incon-*

inconſtantia ejus: quia ſicut potuit mutari in malum, ita etiam in bonum: & ipſe eſt ſui accuſator, defenſor, & teſtis. Suppoſito autem tali propoſito obſervandum eſt, ut ſi homo habeat aliquas externas occaſiones moraliter inducentes illum ad temere jurandum, illas auferat, alioquin non ſufficienter diſponetur, ſi proximae ſint, & SINE MAGNO INCOMMODO auferri poſſint.

XVI. Duo hic docet Suareſius, quae falſa, & Evangelio opponi videntur. Nam ſi *de propoſito*, atque adeo de dolore (eadem quippe eſt utriuſque ratio) credere Confeſſarii debent peccatoribus Recidivis conſuetudinariis poſt plures Confeſſiones relapſis, *non obſtante quacumque praecedenti frequentia, & inconſtantia*; Ergo Chriſtus Dominus non Sacerdotibus, & Confeſſariis, ſed peccatoribus, & quidem Recidivis conſuetudinariis poteſtatem contulit diſcernendi, & judicandi, num digni ſint abſolutione. Proindeque poenitentes, non Confeſſarii judices ſunt, num abſolvi, aut ligari debeant. Quod ſi conſiſtat, actum, conclamatumque eſt de poteſtate ligandi, & abſolvendi. Nam cum Chriſtiani omnes, qui accedunt ad Sacramentum poenitentiae dolorem, & propoſitum ſe ſe emendandi oſtentent (ſtulti enim prorſus eſſent, ut alias dixi, ſi ad praefatum Tribunal accederent ſine ullo prorſus dolore, & propoſito, ſcientes, hanc eſse Sacramenti materiam proximam, quemadmodum Baptiſmi eſt aqua); profecto abſolvendi omnes eſſent: atque ita poteſtas ligandi, & abſolvendi, judicandi, & diſcernendi collata a Chriſto Domino Sacerdotibus Confeſſariis evaneſceret. Quare haec doctrina Doctoris eximii contineri in *prop. 60.* proſcripta ab Innocentio XI. videtur, & abſolute, ut mitiſſime loquar, falſa, ne dicam erronea eſt.

XVII. Nec minus a veritate aberrat, quod ſecundo loco docet P. Suarez, videlicet tollendas eſse occaſiones proximas, ſi *ſine magno incommodo auferri poſſint*. Nam haec quoque doctrina, niſi me omnia fallunt, proſcripta videtur in *theſi 62.* ejuſdem Innoc. XI. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda,*

quan-

quando cauſa utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit. Nec datur cuiquam ſorte diſtintiunculae locus quod P. Suarez ſcribit, occaſionem proximam non eſse auferendam, quando *magnum incommodum* occurrit: Theſis vero damnata requirit dumtaxat *cauſam aliquam utilem*. Nam quamlibet cauſam utilem perdere magnum reputare incommodum homines ſolent. At Evangelium Chriſti, miſſis commentis, & effugiis, clamat Matt.5. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.... Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Quiſnam horum Verborum germanus ſenſus? Reſcindenda amicitiarum, ſocietatum, & converſationum vincula, etiam ſi Matronae, quibus inſervitur, ad gradus. & dignitates evehere ſuos amaſios, & idololatras poſſent. Renuntiandum illecebris, oblectamentis, ludis, & matronarum ſervitio eſt, & ipſis Parentibus, quando heinc peccandi, animamque una cum corpore perdendi occaſio proficiſcitur.

Nota, quod dictas propoſitiones, quas falſas, & laxas exiſtimo, non ego, ſed ipſi Adverſarii ex P. Suarez collegerunt.

XVIII. Tertio loco opponit author *cit. Diſs. pag.*20. auctoritatem Cardinalis DE LUGO his verbis. „ Audiatur nunc „ Eminentiſſimus Card. De Lugo, (Audiamus etiam atten- „ tentis auribus) qui *diſp.* 24. *ſect.* 10. *num.* 166. haec habet: *Reſtat ergo nunc, ut dicamus aliquid de illo ultimo puncto, ſeu ultimo capite cognoſcendi defectum propoſiti efficacis, nempe ex frequenti reincidentia in eadem peccata poſt multas Confeſſiones abſque ULLA emendatione, in quo puncto doctrina communis, & vera eſt, ſi Sacerdos hic, & nunc, non obſtante CONSUETUDINE praeterita, judicet, poenitentem habere verum dolorem, & propoſitum non peccandi, poſse eum abſolvere, quia diſpoſitio ſufficiens eſt dolor, & propoſitum praeſens, non emen-*

datio

datio futura ; atque ita poterit abſolvi , LICET JUDICETUR RELAPSURUS .

XIX. Quo ultra pergimus , eo laxiora audire nos convenit. *Etiamſi judicetur relapſurus abſolvi poteſt ?* Si confeſſarius judicat poenitentem ſincere , & firmiter proponere emendationem , quomodo judicare poteſt *eum eſſe relapſurum ?* Aut ſi judicat relapſurum , quomodo exiſtimare poteſt eum eſſe contritum ? Si perſuaſus tu eſſes , Petrum tibi ſpondentem pecuniarum reſtitutionem, ſincere , & firmiter promittere , ſimul ſic judicares Petrum non eſſe reſtiturum ? Hae duae perſuaſiones , haec duo judicia contradictoria omnino ſunt . Deficere Petrus poteſt in reſtitutione pecuniae ex impotentia . At Chriſtianus vere juſtificatus evadit Filius Dei , & Deus habitat in ipſo : & gratiam accipit triumphatricem , auxilia , & dona, quibus & abſtinere a peccatis , & ſuperare omnes Mundi , & Inferni tentationes , fraudes , & impedimenta poteſt . Si itaque ſincerus ejuſdem dolor : ſi ſtabile ſit ejuſdem propoſitum , uno verbo , ſi revera juſtificatur , ſperare certe licet non eſſe relapſurum . Et hoc judicium formare Sacerdos debet , ut valide eumdem abſolvere queat . Cum hoc autem judicio fundato tum in divina miſericordia , tum in efficacitate validiſſima divinae juſtificationis , tum in firmo propoſito veri poenitentis contrarium de relapſu judicium componi nullo modo valet .

XX. Mirifica ſunt , & incredibilia commenta , quae plures Caſuiſtae excogitarunt , ut ſimul haec duo contraria judicia glutinent , & conjungant . Ajunt unum eſſe judicium *ſpeculativum* , aliud *practicum* . P. Patritius Sporer, inquit . Senſus iſtius propoſitionis : *iterum faciam , iterum relabar eſt indicativus, & enumerativus ex parte intellectus*: minime vero *optativus , ſeu volitivus ex parte voluntatis* . Ad has tricas , & cavillationes juſtificationem chriſtianam revocant . Si plura cupis conſule *tom. 9. Theolog. Chriſt. lib. 1. Diſſert.* 3. Taedet enim , & quidem magnopere , tam vana refutare Paradoxa .

XXI. Ut ad Cardinalem de Lugo redeam , ſermonem hic inſtituit de Recidivo conſuetudinario ; & quidem *poſt plures*

Con-

Confeſſiones abſque ulla emendatione reincidente in eadem peccata, quem juxta communem, & veram ſententiam poteſt Sacerdos abſolvere, ſi tamen judicet poenitentem habere verum dolorem, & propoſitum non peccandi. At demens profecto eſſet Sacerdos, ſi tale judicium de hoc deſcripta poenitente formaret, nullum enim habere poſſet fundamentum, cui nixus tale judicium formaret. Nam ex conſuetudine peccandi, & quidem poſt plures Confeſſiones, & ex parte emendationis, cujus nullum dedit indicium, contrarium arguet ſi ſapit. Dices forte: Ex ore poenitentis. At haec aſſertio, ut vidimus, proſcripta eſt.

XXII. Attamen proſequamur, quae ibidem ſubjicit De Lugo, ne vociferentur, me truncare textus. *Secundo* (inquit) *certum eſt, quando Sacerdos, attenta conſuetudine praeterita, & propenſione, aliiſque circumſtantiis, judicat poenitentem non averti ſufficienter ab illo peccato, non poſse eum abſolvere, quantumcumque poenitens dicat, ſe dolere: QUIA SI SACERDOS ID NON CREDIT, non habet judicium requiſitum ad conferendam abſolutionem*. Ratiocinium iſtud conditionale, ſeu hypotheticum eſt: *Si Sacerdos non credit*, poenitentem dolere, non poteſt eum abſolvere. An forte aliquis dubitat, utrum Sacerdos deberet necne abſolvere poenitentes, etiam quando eos credit non eſſe contritos? Deinde haec differendi methodus nec lectores inſtruit, nec Confeſſarios, ſed potius involvit. Nam totus difficultatis cardo in eo ſitus eſt, quando Confeſſarius formare valeat judicium prudens, poenitentes ſuos eſse vere contritos, ut eos poſſit abſolvere. Hoc expendere, hoc decernere ad verum Theologum pertinet. Nos ex Scripturis, Conciliis, & Patribus didicimus, judicium iſtud non verbis, non lacrymulis, ſed fructibus poenitentium niti debere: ideoque ſi accedat ad Sacramentum Recidivus conſuetudinarius poſt plures Confeſſiones relapſus *abſque ulla emendatione*, in mortalia crimina, ut caſum proponit Cardinalis de Lugo, clare, & baſilice docendum eſt, Confeſsarios non poſse in his caſibus concipere prudens judicium, quod tales poenitentes ſint

reve-

Digitized by Google

revera contriti, ac proinde differre illis abſolutionem debet, donec operibus comprobent, quod ore ſpondent.

XXIII. Sed ut paream Anthori *Diſſertationis citatae*, audiamus, quid tertio loco addit de Lugo. *Tertio*, inquit, *ad judicium ferendum de diſpoſitione praeſenti deſervit, ſi peculiaria ſigna doloris oſtendit. Item ſi jam adhibuit curam ALIQUAM ad conſuetudinem extirpandam. Si nunquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam conſuetudinem, nunc autem admonitus libenter ea ſuſcipit, & proponit adhibere ea media. Denique aliquando UTILE erit differre abſolutionem per aliquot dies, ut appareat correctio, & obſervatio propoſiti. In hoc conveniunt Authores, quos refert, & ſequitur Sanchez lib.2. &c. Suarez tom. 2. de Relig. &c. Reginaldus lib. 3. &c. Henriquez lib. 4. &c. Et alii, quos ipſi adducunt.*

XXIV. Omnes adducti Authores cum Probabiliſtae ſint, eorumque doctrina non modo nullum habeat in eorum, quae traduntur, confirmationem Scripturae teſtimonium, aut Conciliorum, aut Patrum, ſed magis iis repugnet, deſerenda omnino eſt. Ad verba Lugonis quod attinet: *Si peculiaria* (inquit) *ſigna doloris oſtendit. Item ſi jam adhibuit curam ALIQUAM ad conſuetudinem extirpandam.* Quaenam ſunt iſta doloris ſigna peculiaria? Juxta Scripturas, & Patres, & Concilia ſunt abſtinentia a peccatis, re & operibus comprobata: ſunt ſevera jejunia, juges preces, planctus, & amarae lacrymae. Quaenam ſigna perhibet de Lugo? Nulla. Inquit enim: *Si pecularia ſigna doloris oſtendit*: fortaſſe, ſi aliquibus tunſionibus pectus percutiat: ſi aliquas lacrymulas effundat? At praeteritae confeſſiones plures, & frequentes relapſus evincunt, haec eſſe ſigna mendacia, & meras illuſiones, ut toties oſtenſum eſt. *Item ſi jam adhibuit curam aliquam ad conſuetudinem extirpandam.* Conſuetudo peccandi poſt plures confeſſiones frequenti relapſu roborata, & confirmata, impetu vehementiſſimo abripit in ſcelera. Numquid haec violentiſſima inclinatio ſuperatur *aliqua cura, aliqua induſtria*? Haec ſunt probabiliſtica commenta, ut ſupra demonſtratum eſt auctoritate tum

Scripturarum, tum Patrum, tum Conciliorum, & praecipue Tridentini; *quia*, ut ait Spiritus Sanctus, *perverſi difficile corriguntur*. Addit Lugo, *ſi numquam admonitus fuit de remediis adhibendis ad tollendam conſuetudinem*. In praeteritis itaque Confeſſionibus nec remedia adhibuit, ut conſuetudinem evelleret, nec de hoc admonitus fuit? Ergo ſacrilegae fuerunt elapſae Confeſſiones, & duces caecorum Confeſſarii, qui neque remedia extirpandae conſuetudini opportuna praeſcribere, neque de hoc vel poenitentes admonere curarunt &c. Quod ultimo loco ſubjicit: *Denique aliquando utile erit differre abſolutionem per aliquot dies*, recipi poſſet, ſi non modo utilitatem, ſed neceſſitatem differendae abſolutionis recidivis conſuetudinariis ſignificaſſet. Utile enim quandoque eſt vel ipſis juſtis differre per aliquot dies ſuſceptionem Sacramentorum.

XXV. Quarto loco opponit Author *citatae Diſſertationis pag.* 21. P. Paulum SEGNERI his verbis: „ Demum „ P. Paulus Segneri, quem profecto nominaſse, laudare eſt, „ in ſuo *Aureo* libello, qui inſcribitur: *Il Confeſsore iſtruito*, „ quique ab Italiae Epiſcopis ad uſum ſuarum reſpective Dioe- „ ceſum ſaepius typis conſignatus, Parochis, & Confeſsariis „ commendatus eſt, haec docet cap. 4. loquens de Recidivis. *Se voi prudentemente ſtimate, che alcuno di eſſi abbia propoſito vero di emendarſi, voi potete a lui dare l' aſsoluzione, ancorchè temiate, che debba facilmente tornare al vomito, e ancorchè ſappiate, che come cane putridiſſimo vi è già per addietro tornato, non una volta ſola, ma MOLTE, e MOLTE. La ragione è, perchè la riſoluzione preſente, che ha di emendarſi, e la materia del Sagramento, non è la emendazione futura, che col favore divino pur è POSSIBILE ancora ad un incoſtante*: Potens eſt enim Deus, *come l'Apoſtolo dice* ſtatuere illum. *Ma SE per contrario a voi paja, che alcun di loro non deteſti la colpa con efficacia, e che poſſeduto da ſuoi tirannici affetti o d' intereſse, o di impurità, o di furore, non volga, quanto dovrebbe, il ſuo cuore a Dio, allora non vi è permeſſo d' aſſolverlo in conto alcuno, non oſtante, che egli aſſeriſca il contrario*. DE LUGO de Sacrament.

ment. poenit. Diſp. 14. ſec. 10. n. 166. *Perchè in queſto Tribunale voi ſiete il Giudice, e però a voi ſi appartiene ancor giudicare, chi ſia diſpoſto, ſenza rimettervi in queſto al detto del reo, a cui ben dovete credere, come a quello; che ancor è teſtimonio, ma non allora, che una più forte preſunzione del fatto ſi oppone alla proteſta delle parole*. Ant. Perez de Poenit. Diſp. 3. cap. 4. num. 64. Conynch. de Sacr. Poenit. Diſp. 8. dub. 17. n. 132. *Ma qui ſta il punto, direte voi, avere qualche regola buona di aſſicurarſi, quando ſi debba alle promeſſe di coſtoro dar fede, e quando negare. Riſpondo: ſe un tal peccatore nell' accuſare ſe medeſimo moſtri ſegni di dolore non ordinario: ſe viene a confeſsarſi non per uſanza, che n' abbia, ma per trovar rimedio a quella ſua colpa, che fuor dell' uſo lo inquieta: ſe porta con eſso QUALCHE emendazione, o ſe almeno egli ha poſto QUALCHE ſollecitudine, QUALCHE ſtudio per emendarſi: ſe non eſsendo ſtato avviſato altre volte del ſuo mal grave, adeſso riceve in bene l' ammonizione, che voi gli fate: e ſe riſolve di uſar quei preſervativi, che voi gli preſcriverete a non ricadervi; in tutti queſti caſi dovete credergli, e così proſciog lierlo ancora, come ben diſpoſto. De Lugo loc. cit. Laym. lib. 5. tract. 6. c. 4. num. 10. Ma ſe per contrario non vi reca avanti neſsuna di queſte diſpoſizioni, ma piuttoſto una ſoma di ſceleragini più eccedente, ſenza riſentirſi del peſo, e ſenza punto penſar a ſcuoterlo, nè a SCEMARLO, con che prudenza lo giudicarete voi per contrito?* „ Haec habent graves hi Doctores „ concludit Author *cit. Diſsert.*

XXVI. Gravis ne Doctor Theologus P. Paulus Segneri, qui nunquam Theologiam profeſſus fuit, qui, expleto Diſcipuli munere, ſe totum ſacris Apoſtolicis Miſſionibus dedit? Ejusdem eloquentiae vim, morumque integritatem, aut ſi quae alia ei conceſſeris, non repugno: auctoritatem ipſius in re morali, ac Theologica neque ego, neque ſapiens quis unquam fecit. Libellus inſcriptus: *Il Confeſsore iſtruito* appelletur per te *aureus*: meae quidem imbecillitati videtur, (ſit venia verbo) *plumbeus*, quia conflatus ex meris opinationibus Caſuiſtarum,

 qui

Digitized by Google

qui communiter ſunt Lugo, Layman, Bonacina, Caſtropalaus, Conynch, Arriaga, Zambrana, Reginaldus, Fillucius, Megala: omnes Probabiliſtae. Nihil dico, quod evidens non ſit. Nam in reſcripto teſtimonio P. Paulus Segneri nihil de ſuo habet, ſed ad litteram de latino in idioma italicum traducit doctrinam *Cardinalis de Lugo*, ut cuique legenti verba *de Lugo* a me reſcripta, & verba P. Segneri palam fiet. Et hoc fatetur idem P. Segneri, citatque locum, unde ſuam hauſit doctrinam. In ſenſu hypothetico loquitur Segneri, ſicut de Lugo: *Se voi prudentemente ſtimate &c. Ma ſe per contrario &c.* Addit de ſuo, poſſibilem eſſe converſionem Recidivorum, adducitque textum s. Pauli: *Potens eſt enim Deus ſtatuere illum*: qui ſane textus ad rem nihil prorſus facit. Nam Catholicorum nemo inficiatur, poſſe Deum illico ſanctificare omnium iniquorum ſceleſtiſſimum. Sed nunc non diſputatur de eo, quod fieri a Deo abſolute poſſit, ſed de eo, quod communiter contingit. Tandem cum *De Lugo*, *Perez*, *& Conynch* (iſti ſunt Patres, quos allegat) perhiberi, ait, veri doloris indicia ſequentia, nempe I. Si confiteatur non ex conſuetudine, ſed ut remedium inveniat culpae, quae illum perturbat. II. Si praeferat *ALIQUAM emendationem*. III. Aut ſi ſaltem *ALIQUAM* ſollicitudinem, *ALIQUOD* ſtudium adhibuit, ut ſe emendaret. IV. Si alias *admonitus non fuit* ſui gravis morbi, & nunc libenter accipiat admonitionem. Nonne haec omnia indicia probabiliſtica ſunt, quae profert Cardinalis de Lugo, & ceteri Caſuiſtae? Quare cum ſatis, ſuperque confutata ſint, non eſt, cur eadem denuo examini ſubjiciamus.

XXVII. Illud nunc oportet animadvertere, P. Paulum *Segneri*, ut Caſuiſtarum aſſeclam, & ut Probabiliſmi acerrimum vindicem contra ſuum Patrem Generalem Tyrſum Gonzalez eam doctrinam tradidiſſe. Ceterum in ſuo opere vere aureo inſcripto: *Criſtiano iſtruito*, conflato ex Scripturis, Patribus, Conciliis, & praeſertim ex doctrina s. Thomae Aquinatis contrariam prorſus ſententiam docet, & principia ponit, quae penitus deſtruunt omnium dictorum Probabiliſtarum axiomata. Et pri-

Digitized by Google

primum *ſer.5. pr. par. cit. oper.* defendit pauciores eſſe ex catholicis adultis, qui ſalvantur, quam qui damnantur, & hanc eſſe concordem Patrum tum Latinorum, tum Graecorum vocem ex ipſo Evangelio hauſtam. Poſt Patrum authoritatem duo rationum momenta eloquentiſſime, more ſuo, exponit; aitque numero *9.* duas eſſe ſalutis aeternae vias; Innocentiam, vel poenitentiam. Innocentes raros, & paucos eſſe. Ad veram poenitentiam quod attinet, hanc ipſa innocentia rariorem, & difficiliorem eſſe, adducta s. Ambroſii auctoritate, ex *lib.2. cap.10. de poenit.* evincit: *Facilius inveni, qui innocentiam ſervaverit, quam qui congrue poenitentiam egerit*: Idque magna ſuae eloquentiae copia oſtendit, potiſſimum ob *Confeſſiones* invalidas, ac ſacrilegas. At ſi vera esset doctrina caſuiſtica, communiter & confeſſiones validae esſent, & catholici adulti majori ex parte ſalvi fierent.

XXVIII. Rurſus *par.3. ſerm.14. n.4.* admonet: non aliunde tot animas in infernum pertrahi, quam ex Confeſſionibus ſacrilegis: *Il Demonio, come dice s. Tereſa, per neſsun' altra via guadagna tante anime tra fedeli, quante per queſta, di fare, che confeſsandoſi non ſi confeſſino bene, cioè, che non pongano mente a quello, che è il più importante, ed il più indiſpenſabile nella Confeſſione, che è il convertirſi, ed il proporre RISOLUTISSIMAMENTE l' emendazione.* Viden.? Non ait hic, *ALIQUAM* ſollicitudinem, *ALIQUOD* ſtudium, ſed *firmiſſimam* deliberationem ad emendationem adhibendam eſse. Allegat teſtimonia ss. Auguſtini, & Thomae, ut evincat peccatores communiter toto corde non converti ad Deum, quia communiter vitae tenorem non mutant, ut lupi (inquit ex s. Auguſtino *Serm. de verb. Apoſt.19.*) *Lupus venit fremens, lupus redit tremens. Lupus tamen eſt fremens, & tremens.* Subdit vero P. Segneri: *Queſta è la più vera ragione delle aſſidue ricadute di moltiſſimi peccatori, che ſi erano pur poc' anzi dal Confeſſionale partiti col capo chino. Operano come prima, perchè ſono quei di prima: e tutta la mutazione, che in lor apparve, fu accidentale.* Aliud ex D. Auguſtino allegat teſtimonium

nium *l.* 8. *Confeſs. Non utique plena* (voluntas) *imperat* : *ideo non eſt quod imperat . . . . Si plena eſset , non imperaret , ut eſſet , quia jam eſset* . Addit ex s. Thoma in *pſalm.* 48. *Propoſitum manifeſtatur per operationem* . Et rurſus ex 1. 2. *qu.* 2. *art.* 4. *Non eſt perfecta voluntas , niſi ſit talis , quae , opportunitate data , operetur* .

XXIX. Adhuc melius patebit P. Pauli Segneri hac de re ſententia legenti ſermonem integrum, tum inſuper ſermonem 15 de propoſito vitandae occaſionis , & ſermonem 33 de fugienda promiſcua mulierum , & virorum converſatione , quam *animarum peſtem* appellat , ac tandem ſermonem 22 de Recidivis , ubi cum s. Auguſtino clamat *num.*3. *Qui pectus ſuum tundit* , & non corrigit , *peccata ſolidat , non tollit* : & fuſe explicat graviſſimam difficultatem converſionis Recidivorum , qui frequenter poſt plures confeſſiones relabuntur, eoſque non recidivos , ſed continenter peccatores appellat *num.* 2. his verbis : *Dubito però io , che quando noi diamo a coſtoro il nome di recidivi , facciamo loro un' onore non meritato , perchè chi ricade, ſi preſuppone, che prima egli ſi ſia guarito, almeno per qualche tempo , laddove a molti di queſt' infermi per verità non ſi levò giammai di doſſo la febre . S. Gregorio Nazianzeno non vuole , che ſi dia a Giuliano il ſuo famoſo nome di Apoſtata , perchè ,* dice il Santo , *egli non fu mai fedele . Or all' iſteſsa maniera non dee dirſi, che coſtoro ritornino ad eſsere peccatori , dopo la Confeſſione , poichè per eſsa non divennero giuſti . Queſta è una verità importantiſſima , e però conviene , che io ve la faccia toccar con mano, provandovela per tutte le vie, cioè per i ſuoi effetti , e per le ſue cagioni .*

XXX. Luculentius quoque explicat *num.* 5. adeo difficilem Recidivorum emendationem , ut *magno miraculo* opus ſit pro illa obtinenda . En illius verba : *E quanto all' emendarſi vi vuole certamente a ciò un GRAN MIRACOLO , atteſa quella ſomma inſtabilità, per cui tornano ſubito a quel di prima . . Come volete mai , che ſi emendino queſti poveretti , ſe ſono in un continuo trapaſsamento dalla Confeſſione al peccato , dal peccato*

alla

alla Confeſſione? Et num. 6. *Che ſe difficiliſſima è per queſti l' emendazione, difficiliſſima ſarà altresì la ſalute, la quale da Dio è ſtata affiſſa all' opere buone*. Tandem num. 15., & 16. concludit. *V' è rimedio, ſe ne vuole uſcir fuori efficacemente. Diſſi efficacemente, perchè quanto più radicata è la cagion del male, tanto più riſoluta convien che ſia la volontà di guarire... Dunque facci frutti di penitenza*. Facite fructus verae poenitentiae. *Ma quali ſono queſti frutti, direte voi? Sono tre. Limoſina, Digiuno, e Orazione &c.*

XXXI. Lubet adjicere, quae ſcribit *ſerm.* 17. *num.* 20. circa indicia verae Converſionis. *Se le confeſſioni malfatte foſsero così rade, come alcuni ſi danno a credere, non ne moſtrerebbe tanta ſollecitudine la ſanta Chieſa. Nel Concilio Lateranenſe tenuto ſotto Innocenzo Secondo, e compoſto di mille Padri al canone vigeſimoſecondo afferma ella, che uno de' maggiori diſordini della Criſtianità è il non confeſsarſi bene, e che però i Confeſsori ſtiano molto attenti, affinchè per queſta via non ſiano condotte all' Inferno le anime de' lor penitenti. Inter cetera unum eſt, quod ſanctam maxime perturbat Eccleſiam FALSA SCILICET POENITENTIA: Unde Confratres noſtros admonemus, ne falſis poenitentiis laicorum animas decipi, & in Infernum detrahi patiantur*. Et tamen tempore Concilii Lateranenſis in lucem non eruperat Probabiliſmus, neç tanta vigebat abſolvendi facilitas. Patet igitur, in univerſo opere P. Segneri inſcripto, *Criſtiano iſtruito*, vere aureo, ac praeclariſſimo, quia totum conſtat Scripturis, Conciliis, & Patribus, profligari Caſuiſticam doctrinam, quam ſecutus Caſtropalaum, Conynch, Lugo, Bonacinam, Laymanum, alioſque ejus generis tradiderat in libello illo: *Confeſsore iſtruito*.

XXXII. Nec ſilentio praeterire hoc loco poſſum P. Claudii de la *Colombiere* ex eadem inclyta Societate Concionatoris praeſtantiſſimi verba latine reddita, quae extant ſermon. 72. adverſus eos, qui jejunia quadrageſimalia violant, & nihilominus in paſchate confitentur, & communicantur. „ Vos, Auditores, perſuadere mihi contenditis poenitentiam veſtram

„ ſtram veram eſse ? Adeo falſam illam ego exiſtimo , ut vo-
„ biſcum Redemptoris Sanguinem prophanare vererer , ſi vos
„ abſolverem, antequam vos, *elapſis feſtis*, *quadraginta dierum*
„ *jejuniis ad poenitentiam diſponerem*, ut hoc experimento col-
„ ligerem , num revera vos violatae quadrageſimae poeni-
„ teat „ . Rigoriſta ne , Tutioriſta ne , Janſeniſta ne eſt P. *de la Colombiere* ? Decepit ne Auditores ſuos hac doctrina ? Si ob violatam quadrageſimam , aliam jejuniorum quadrageſimam ſervandam imponeret ; quam poenitentiam praeparatoriam imponeret moechis , fornicatoribus , perjuris frequenter poſt plures confeſſiones relabentibus ?

XXXIII. At intendant licet omnem eloquentiae vim , omnia adferant probationum genera Concionatores , nullos tamen , aut perraros poenitentiae dignos fructus videmus . Propterea quod Chriſtiani ex ejuſmodi quidem concionibus perterrefacti, & commoti accedunt ad Confeſſarios doctrina Probabiliſtica imbutos, eiſque conſcientiae remorſus, & latratus declarantes, audire ſolent : *Praedicatores concionatorie , oratorie, emphatice declamant, exaggerantque* . Ex quo fit, ut, modo aliquam induſtriam, aliquem conatum praeferant emendationis; quoties peccarunt & relapſi ſunt, toties abſolvuntur: ideoque ut abſolvendi, ita & peccandi nullus finis imponitur, & digni poenitentiae fructus nunquam fiunt . Alia ne ergo Chriſti Evangelii doctrina *pro pulpito* , alia pro *Confeſſionario* doctrina tradita ? Unde ergo tam aperta inter doctrinam Concionatorum , & doctrinam plurium Confeſſariorum oppoſitio ? Quia Concionatores ſuam doctrinam ex Scripturis divinis, & Patribus : contra plures Confeſſarii ex novis Caſuiſtis ſuas opiniones contrarias Scripturis , & Patribus hauriunt .

XXXIV. Doctiſſimus Jeſuita , nec ſine laude nominandus P. Michael Elizalde plura adverſus has Concionatorum, & Confeſſariorum doctrinas oppoſitas *lib.6. q.6.* §.*6.* ſcribit: „ Sacris
„ (inquiens) Concionatoribus id propoſitum eſt ſibi , ex *libris*
„ *Dei* , *& per libros maxime Sanctorum* cauſam eſſe agendam :
„ Ex his ergo ipſis , & per hos ipſos , non per omnino alios &

Theo-

Digitized by Google

„ Theologus,& Confeſſor,& Conſultor, directorque conſcientiae uti deberent. Ex qua plane concordia fructus ingentes colligerentur. Ut itaque in ſacris Concionibus vix alii libri audiuntur: Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Gregorii, ac ſimiles perpetuo teruntur. Hi noti, hi domeſtici, familiareſque ſunt.... Cum porro alii in templis proferuntur, ex aliis vero deinde vivitur, fiet plane, ut Sanctorum doctrina in templis maneat, haud vero tranſeat ad mores. Ubi illud perpetuo utrumque ex Scripturis, & Sanctis in templis afferuntur *vera ſint, aut falſa?* Si falſa, quod abſit, nec quidem in templis eſse ingerenda. Si vera autem ſunt, ut utique ſunt, ergo etiam *in ſchola, & in libro morali* vera ſunt. Fieri ergo nequit, *ut aliud ſit verum templorum: & non hoc, ſed aliud verum librorum moralium: & uno modo ex ſuggeſtibus ſacris inſtituendi ſimus de via ſalutis, & prorſus alio modo alibi.* „ Nempe in ſchola caſuiſtica, aut in *Confeſſionario*.

„ A principio ſane non fuit ſic. Neque enim Apoſtolorum in primis temporibus alia ipſi in concionibus dabant; & alia deinde Theologi, ex quorum dictis eſse vivendum ſupererat. Aut alia ipſi tamquam Magiſtri ſermonum, & verbi Dei annuntiabant: & alia deinde tamquam Theologi Epiſtolis ſuis, aut verbo edocebant. Neque Martyrum tempore, nec aetate Doctorum fuit iſta ſacrorum Oratorum, Theologorumque diviſio: ut alii quidem Theologi eſſent, & alii deinde verbi Dei annuntiatores: & alia, & alia utrique docerent. „.

XXVII. Ex quibus omnibus colligo cum hoc ſapientiſſimo Jeſuita, doctrinam, quam P. Paulus Segneri in ſuo *Criſtiano iſtruito*, & alii omnes Concionatores edocent de perdifficili Recidivorum frequenter prolabentium converſione, eſſe veram, & doctrinam contrariam, quam Caſuiſtae citati defendunt, eſse penitus falſam. Quia priorum doctrina hauſta eſt ex Scripturis ſanctis, & Patribus, atque ex Traditione Eccleſiae: poſteriorum vero opiniones ab hominibus pia intentione ſuccur-

Digitized by Google

rendi humanae infirmitati excogitatae ſunt. Si plura cupis, lege *tom.9. Theol. Chriſtian. lib. 2. diſs.3. cap. 6.*

XXVIII. Author *cit. Diſs. pag.*13. opponit etiam auctoritatem S. THOMAE ex 4. *ſent. diſt.*17. *q.*3. *q.*5. *ad* 2. deſumptam, inquiens: „ Ita expreſse docet s. Thomas, ubi loquens s. Doctor de cognitione, qua Confeſſarius debet cognoſcere poenitentis *diſpoſitionem* ſic habet. *Quantum ad hanc cognitionem, non poteſt majorem certitudinem accipere, quam ut ſubdito credat, quia hoc eſt ad ſubveniendum conſcientiae ipſius. Unde in foro Confeſſionis creditur homini pro ſe, & contra ſe.* Errorem graviſſimum s. Thomae affingit Diſſertator. Nam ne verbulum quidem ibi habet s. Thomas *de diſpoſitione poenitentis*, ſed tantum de manifeſtatione culparum, quas poenitens Confeſſario patefacit. Qua in re fidem poenitenti habere Confeſſarius debet. Ita enim loquitur s. Doctor: *Alio modo per Confeſſionis manifeſtationem. Et quantum ad hanc cognitionem &c.* Priora ergo verba truncavit Diſſertator. Et hi ſunt, qui aliis improperant textus referri mutilatos, deformatoſque, ſi vel mendum typographicum occurrat, quod carpere valeant. Mentem ſuam aperit quoque sanctus Thomas *Quodlibet.*1. *q.*5. *ar.*12. ubi inquirens, *utrum Sacerdos Parochialis debeat credere ſuo ſubdito dicenti ſe eſſe confeſſum, ut propter hoc ei Euchariſtiam miniſtrare debeat*, hoc praebet reſponſum. *In foro judiciali creditur homini contra ſe, ſed non pro ſe. In foro autem poenitentiae creditur homini, & pro ſe, & contra ſe... Si autem ſit impedimentum, quod ad forum poenitentiae pertineat, ſcilicet PECCATUM, tenetur ei credere, & injuſte agit, ſi deneget Euchariſtiam ei, qui perhibet ſe confeſſum, & abſolutum ab eo, qui abſolvere potuit.* Et iterum ad 2. *Oportet, quod credat ea, quae ſibi a ſubdito dicuntur.* Eſt itaque luce meridiana clarius, s. Thomam loqui de externa peccatorum confeſſione, in qua dubio procul fides habenda eſt poenitenti & pro ſe, & contra ſe. Error autem eſt, & quidem graviſſimus, ut ſupra oſtenſum eſt, quod poenitentes ſint Judices propriae contritionis, & propoſiti, ſive *diſpoſitionis* ad ſuſcipiendam

dam

Digitized by Google

dam abſolutionem. Quare hunc errorem s. Thomae affixum retractet oportet laudatus Author, & fateatur, s. Thomam ab eo longiſſime diſtare.

CAPUT DECIMUM.

Refelluntur Sophiſmata citatae Diſſertationis ex praxi ss. Virorum conficta.

PRO ſua adſtruenda ſententia Author *cit. Diſs.* praxim opponit ſanctorum virorum magni nominis. Et initium capit pag.28. a s.FRANCISCO XAVERIO, de quo haec ſcribit.
„ S. Franciſcus Xaverius Indiarum Apoſtolus non ſolum be-
„ nigne excipiebat ſceleratiſſimos quoſque etiam relapſos, &
„ conſuetudinarios, *ſed eos rite diſpoſitos* aut ſtatim, aut
„ certe poſt aliquot dies abſolvebat. Hinc Religioſum ſibi
„ ſocium in adminiſtratione Sacramenti poenitentiae erudiens,
„ docet utile plerumque eſſe, Recidivos, & conſuetudinarios
„ non continuo abſolvere, ſed agere cum illis, ut boni con-
„ ſulant, per duos, treſque dies piis commendationibus va-
„ care, & hac ratione ad fructum uberiorem ex confeſſione
„ ſuſcipiendum ſe diſponere. *Ubi notes, non dicere, id eſſe ne-*
„ *ceſſarium ex obligatione, & neceſſitate Sacramenti*: immo
„ oppoſitum a ſe exiſtimari facto ipſo oſtendit „.

II. Dubio procul benigne, immo benigniſſime, & totis miſericordiae viſceribus ſuſcipiendi peccatores etiam ſceleſtiſſimi ſunt. Unde tamen colligitur, s. Xaverium relapſos, & conſuetudinarios *aut ſtatim, aut certe poſt aliquot dies abſolviſse*? Quod *ſtatim* eos abſolverit, quodnam documentum adducitur? Nullum. Et in re tanti momenti pro arbitrio Author loquitur? Praeterea, etſi ſtatim peccatores relapſos, tamen *rite diſpoſitos* abſolvebat Xaverius. At unde hoc agnoſcere poterat? Arbitror ex divini luminis participatione, quo ſecreta cordium, & caeleſtia dona penetraret. Ergo ex facto D. Xaverii colligimus, conſuetudinarios relapſos non eſſe abſolvendos

 niſi

Digitized by Google

niſi *rite diſpoſitos*, & hujuſmodi diſpoſitionem debere confeſſario innoteſcere. Praeciſa autem revelatione divina, & peculiaribus quibuſdam caſibus, de quibus ſermo nobis non eſt, aliud non reſtat fundamentum cognoſcendi, & prudenter judicandi, tales relapſos eſſe rite diſpoſitos, niſi eorum opera. Ergo vel auctor cit. Diſſertationis concedat neceſſe eſt, confeſſarios omnes, qui abſolvunt hujuſmodi relapſos divino lumine eſſe afflatos, ut cognoſcant tamquam tot Xaverii rite diſpoſitos, vel fateri nobiſcum debet, recidivos conſuetudinarios abſolvi a confeſſario communiter non debere, niſi operibus probent, eſſe diſpoſitos.

III. S. Franciſcus Xaverius docuit ad *uberiorem fructum* utile eſſe, differre abſolutionem recidivis conſuetudinariis frequenter relapſis poſt plures Confeſſiones, at non docet *id eſse neceſsarium ex obligatione, & neceſſitate Sacramenti*: immo oppoſitum exiſtimavit. Ubinam hoc docet s. Indiarum Apoſtolus? Quemnam tractatum edidit, in quo utilitatem a neceſſitate diſtingueret? Si verum eſſet, quod Diſſertator commemorat, doctrinam invexiſset s. Franciſcus contrariam Scripturis, Patribus, & Eccleſiae catholicae traditioni, ut docet Bellarminus; quia eſſe rite diſpoſitos ejuſmodi recidivos conſuetudinarios ex fructibus dignoſci clamant Scripturae, & Patres. Fructus autem iſtorum cum ſint frequentes relapſus poſt plures confeſſiones, non perhibent verae emendationis argumentum, quo Confeſſarius prudens judicium moraliter certum concipere poſſit, quod ſint rite diſpoſiti: ideſt quod habeant verum dolorem, & propoſitum conſtans: quae duo ſunt materia proxima poenitentiae Sacramentalis. Ideoque peccaret Confeſsarius abſolvendo, quia Sacramentum adminiſtraret ſine materia moraliter certa.

IV. Inſiſtit Author, facto ipſo s. Franciſcum Xaverium confirmaſſe, *ſtatim*, aut poſt aliquot dies abſolvendos eſſe recidivos conſuetudinarios. Cum enim perditum, & facinoroſum militem interrogaſſet, quamdiu a Confeſſione abſtinuiſſet, ille *Plurimos jam annos in flagitiorum coeno haerere ſe*, ait; *ſacrae Con-*

Confeſſionis expertem , (ſunt hiſtorici Turſellini verba lib.3. cap.15.) *magis id adeo aliena culpa , quam ſua : quippe ante claſſis profectionem ſibi certum fuiſſe, conſcientiam tot flagitiis , & ſceleribus exonerare , ſed confeſſo abſolutionem a Vicario negatam ; nec jam ſpem ullam ſalutis oſtendi . Tum Franciſcus medicus animarum unicus, mirari ſe dicit tantam illius Vicarii SEVERITATEM , ſiquidem rite ille confeſſus eſſet . Inde bono illum animo eſſe jubet , facile ſe aures daturum pollicens , ac monito, ut peccata omnia ab ultima pueritia , quoad ejus conſequi poſſet , in memoriam revocaret , facilem , commodumque praeſcribit modum . Quod ille ad ſpem ſalutis erectus per aliquot dies fecit libenter , ſeduloque &c. Multis ergo in terram egreſſis , Franciſcus quoque cum milite deſcendit . Ibi remoto ab arbitris loco , operam dare confitenti coepit . Et veram eſſe poenitentiam oſtendebant crebri gemitus , ac lacrymae confeſſionem ſubinde interpellantes . Qua tandem peracta , Franciſcus eum abſolvens PATER , & AVE SEMEL orare juſſit , ſe de cetero pro illo ſatisfacturum Deo .*

V. Ut ab ultimis verbis incipiam , praeciſo aliquo peculiari lumine caeleſti , poenitentia unius *Pater* , & *Ave* impoſita peccatori a plurimis annis in flagitiorum coeno haerenti reprobata eſt a Concilio Tridentino *ſeſſ.*14. *cap.* 8. inquiente : *Ne .... leviſſima quaedam opera pro graviſſimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur* . Potüit ergo Xaverius pro Poenitenti debitum ſolvere : at opera poenitentiae , ut medicinalia ſanandis vulneribus neceſſaria , nemo pro altero ſubire valet , ut communiter Theologi omnes docent : veluti ſanus medicinam ſumere pro aegroto nequit . Ad vindicandum itaque praefatam ſatisfactionem , ut medicinalem a culpa , ad caeleſtem afflatum confugiendum eſt . Quare ſi hanc ſatisfactionem ſiluiſſet Adverſarius , prudentius ſe geſſiſſet . Quid de toto facto dicam ? Praefatus miles, etſi ſceleſtiſſimus, Recidivus frequenter poſt plures confeſſiones relapſus non erat . Deinde peccator erat in longiſſima navigatione conſtitutus , in qua continenter pericula imminent . Tandem pec-

cator

Digitized by Google

cator iſte apoſtolicis adhortationibus ſanctiſſimi viri commotus, & contritus crebros emittebat gemitus, & lacrymas fundebat, & *per aliquot dies* ad Confeſſionem ſeſe praeparavit. Quid amplius in his circumſtantiis poſtulaſſent vel ipſi Merbeſius, Juenin, Genettus, & Opſtraet? Ergo minus recte, ne dicam inepte, hoc peculiare factum obtruditur, ut heinc regula communis, & generalis abſolvendi Recidivos conſuetudinarios frequenter relapſos poſt plures confeſſiones *TOTIES QUOTIES* cum aliqua lacrymula, & pectoris tunſiuncula accedunt ad confeſſionem, inferatur.

VI. Quid dicam de illa *SEVERITATE*, quam his litteris Romanis objicit Author, damnavitque apoſtolicus vir in Vicario, qui abſolvere talem peccatorem noluit? Damnavit Xaverius ſeveritatem Vicarii hypotetice, nempe *ſi quidem ipſe rite confeſſus eſſet*. Forſitan nec poenitens ante navigationem tali diſpoſitione praeditus erat, ut abſolutionem mereretur: nec Vicarius erat s. Franciſcus Xaverius, ea caeleſti ſcilicet unctione, zelo, & Apoſtolico fervore ardens, quo emollire, & compungere nequiſſimum peccatorem poſſet.

VII. Inſiſtit *Diſſ.* Author, & ex hoc s. Franciſci facto ſic argutatur. *Vides etiam ex negata, vel dilata abſolutione illud non raro evenire, quod huic militi contigerat, ut nempe ſic rejecti, vel dimiſſi amorem Sacramentorum, ſuaeque ſalutis, veluti deſperantes, amittant*. Et ideo, ne in deſperationem irruant peccatores conſuetudinarii, ne amorem Sacramentorum amittant, ne replere templa deſiſtant, abſolvi *TOTIES QUOTIES* debent? In deſperationem ne detruſit s. Paulus Apoſtolus flagitioſum Corinthium, cui tamdiu veniam diſtulit? In deſperationem ne Eccleſia catholica tradidit plurium ſaeculorum intervallo Chriſtianos relapſos, quibus diſtulit veniam, donec diuturna poenitentia ſe vere converſos probaſſent, & Divinae Juſtitiae ſatisfeciſſent? An ritus iſte Dei Spiritu probatus non fuit? Et quamvis hunc rigorem externum temperaverit Eccleſia, eodem ſemper Divino Spiritu directa, propter Chriſtianorum infirmitatem, & teporem; non tamen omni-
no

Digitized by Google

no ſuſtulit, nec poenitentiae ſpiritus mutatus eſt. Nullum non movere lapidem debent Confeſſarii, ut benignis, & ſuaviſſimis adhortationibus ad veram Converſionem praeparent vel iniquiſſimos Chriſtianos, & compungant, atque illos Deo lucrentur: at non propterea relapſos conſuetudinarios abſolvere *TOTIES QUOTIES*, niſi fructibus probent, ſe revera diſpoſitos eſſe. Huc totum negotium recidit. Ne amorem diminuant Sacramentorum, ne in deſperationem ſe detrudant recidivi conſuetudinarii, eos abſolvunt *TOTIES QUOTIES* Benigniſtae: haud conſiderantes, ſi qua valent, benignitate, & ſuavitate, teneri graviſſimam infirmitatem, & perdifficilem eorum curationem patefacere: ad Divinae miſericordiae ſpem erigere, dummodo ipſi velint remedia exequi, quae praeparant, diſponuntque ad ſanitatem. Haec ſi reſpuant obdurati, & obcaecati, perditio illorum ex ipſis eſt. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam*. Ut Jerem. *cap.* 51. habetur.

VIII. Miram audiamus s. Baſilii magni hac in re ſententiam, qui poſtquam tribus Epiſtolis ad Amphilochium Canones, & ſpatia, ac modos poenitentiae praeſcripſit, ita demum *epiſt.* 217. *Can.* 84. *pag.* 330. *Tom.* 3. *edit. Maur.* concludit: „ „ Haec autem omnia ſcribimus, ut fructus probentur poeni- „ tentiae. Non enim omnino tempore dijudicamus res ejus- „ modi, ſed ad modum poenitentiae attendimus. Quod ſi qui „ difficile avellantur a propriis moribus, carniſque volupta- „ tibus ſervire malint, quam Domino, & vitam ſecundum „ Evangelium inſtituere nolint, nulla eſt nobis cum illis com- „ munis ratio. Nos enim in populo inobſequenti, & contra- „ dicenti edocti ſumus audire: *Servans ſerva animam tuam*. „ Ne igitur committamus, ut cum talibus pereamus: ſed „ grave judicium formidantes, & terribilem retributionis Do- „ mini diem ob oculos habentes, ne velimus una cum alienis „ peccatis perire.... Sed tamen obteſtari eos, noctu, & „ interdiu, & publice, & privatim debemus. Nos autem ſimul „ abripi eorum improbitatibus ne feramus; maxime quidem

„ optan-

„ optantes eos lucrifacere, & a maligni laqueo eripere, ſed ſi
„ hoc non poſſumus, ſtudeamus ſaltem animas noſtras ab ae-
„ terna condemnatione ſervare.

IX. Ad Xaverium redeo, cujus factum cum protulerit Author *Diſſertationis*, audiat nunc ipſe ejuſdem teſtimonium, quod refert *lib. 6. cap. 17.* idem Honoratus Turſellinus: *Si quando locupletes, atque opulenti negotiatores, Magiſtratus, ac Praeſides vitae ſolutioris ad confeſſionem accederent, ante omnia cenſebat, eos eſſe ſedulo admonendos, ut ſumpto ſpatio bidui, triduive intentius anteactam vitam ſuam inquirentes, delicta omnia, ſi diffiderent memoriae, mandarent litteris, dolorique ſenſum, contritionem a Deo ſuppliciter peterent &c. Nec tamen a Confeſſore abſolvendos ILLICO, ſed poſtquam ea, quae deberent, perſolverint. Itaque P. Gaſpari de talibus hominibus praecepit in hunc modum. CONFESSIONEM NON CONTINUO SEQUETUR ABSOLUTIO. Sed biduum, triduumve dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione praeparandis, ut interim primo ANIMORUM MACULAS VOLUNTARIIS ELUANT POENIS: ſecundo, ſi quid debent, reſtituant: tertio ſimultates, ſi quas habent, deponant: Quarto redeant cum inimicis in gratiam: Quinto a libidinis conſuetudine: Sexto & ceteris flagitiis expediantur. HAEC OMNIA ABSOLUTIONEM PRAECURRANT RECTIUS QUAM SEQUANTUR. Nam iſtiuſmodi homines in ipſa confeſſione PROMITTUNT, ſe cuncta facturos: poſt abſolutionem fidei datae immemores promiſſa irrita cadere patiuntur. Proinde elaborandum eſt, ut ABSOLVENDI REPRAESENTENT QUOD PRAESTARE DEBENT ABSOLUTI.*

X. Benignitas Probabiliſtica haec omnia, quae nulli tergiverſationi obnoxia ſunt, quaeque methodum abſolute ſpectant a Confeſſore ſervandam, alto ſilentio praeteriit; factum vero aequivocum in apricum produxit. Et quamvis Indiarum Apoſtolus expreſse hic non loquatur de recidivis conſuetudinariis, qui poſt plures Confeſſiones frequenter relapſi ſint, ſed abſo-

abſolute de opulentis negotiatoribus, de libidinoſis, de debitoribus &c. iſtos tamen vult biduo, aut triduo ſe diſponere ad Confeſſionem: praeterea, ut *peccatorum maculas voluntariis poenis eluant*. Requirit ſecundo, ut, *ſi quid debent, reſtituant*. Poſtulat tertio, ut *ſimultates deponant*, & quarto, ut *cum inimicis in gratiam redeant*. Vult quinto, & ſexto, *ut a libidine, & ceteris flagitiis, quibus ſunt impliciti, expediantur*. *Haec omnia*, ſubdit, *abſolutionem praecurrant rectius, quam ſequantur*.

XI. Scio quid reponi ab adverſariis poſſit: Non ait s. Xaverius, *NECESSARIO*, ſed *RECTIUS iſta praecurrant, quam ſequantur*. Quare, qui Probabiliſmum amplectuntur, his omnibus abſolutionem praemittunt, etſi hoc *minus verum*, & *minus rectum*. At agitur nunc de cognoſcenda diſpoſitione poenitentis, quae eſt Sacramenti materia: idcirco quod *rectius*, quod *tutius* eſt, ſequamur neceſſe eſt. Praeterea ſi ſermo fuiſſet de frequenter relapſis, qui fidem toties violarunt, *neceſſario* equidem ſcripſiſset, non *rectius* s. Xaverius. Accedit, Turſellinum hiſtoricum agere, non Theologum, qui voces caſuiſticas expendat, & cribret. Sed ut ad incitas Caſuiſtas omnes redigam, ſic undique verſum illos urgeo. Poenitentes hodierni non poſt unam, ſed plures abſolutiones praeſtant ne, quod Indiarum Apoſtolus, & univerſa Eccleſia, & Evangelia Chriſti neceſſario requirunt? Nobiles, & Magnates non pauci poſt plures abſolutiones non ſolvunt debita, quae, ut faſtum, & ambitionem foveant, contrahunt. Vociferantur mercenarii, clamant artifices, plorant mercatores, ſe decoctos evadere propter debitores iſtos moroſos, & inhumanos. Matronulae, & earum amatorculi poſt plures abſolutiones non abrumpunt ſuas peſtiferas amicitias, tot impudicitiarum, fornicationum, & adulteriorum ſentinas. Non proculcant pompas, & vaniſſima ornamenta, quibus renuntiarunt in Baptiſmate. Voluntariis poenis peccatorum maculas non eluunt, Voluntariis jejuniis concupiſcentiam minime affligunt, immo nec ipſam Quadrageſimae abſtinentiam ſervant. Ambitioſi,

Digitized by Google

ſimultates habentes a ſuis flagitiis non expediuntur poſt tot abſolutiones. Uno verbo: poenitentes aetatis noſtrae poſt plurimas Confeſſiones, & Communiones, poſt longum annorum intervallum eaſdem corruptelas, eaſdem diſſolutiones, eaſdem converſationes, comoedias, ſpectacula, ludos communiter continuant, eumdem pravae vitae tenorem perſequuntur. Et adverſus hanc vivendi conſuetudinem non neceſſario praecurrere illa opera debere inficiabitur quiſpiam?

XII. Adjicit Author noſter *cit. Diſs. pag.* 29. pro ſua caſuiſtica doctrina s. PHILIPPUM NERIUM eximiae Congregationis Oratorii Patriarcham ſanctiſſimum, atque haec ſcribit: „ S. Philippus Nerius in curandis animi morbis, & in „ extrahendis e peccatorum coeno hominibus peritiſſimus „ *Recidivos*, & *Conſuetudinarios non ſemel* ad rectum ſalutis „ iter *ſtabiliter* reduxit, non dilata, aut negata, ſed eadem „ iteratis illico poſt relapſum confeſſionibus impertita „.

XIII. Unde colligis, *non ſemel* s. Philippum *iteratis Confeſſionibus illico* abſolviſſe recidivos conſuetudinarios? Si res ſerio perpendatur, s. Philippus improbat, & deteſtatur falſam, & laxam hujuſmodi opinionem. Evinco - Unicum tantum exemplum s. Philippi in medium producis; & hoc tamquam prodigium ab Authore vitae primae editionis, ut mox videbimus, commemoratur. Cur ergo *non ſemel* hoc eum feciſſe aſſeris? Profer, ſi vales, exemplum, quo bis hoc peregiſſe s. Philippum evincas. Porro *ſi ſemel* tantum, atque erga unum ſingularem poenitentem id egit; ergo jure ſummo infertur, abſolute, & communiter s. Philippum non abſolviſſe Recidivos conſuetudinarios, niſi dilata abſolutione, & congrua, opportunaque praemiſſa diſpoſitione. Quod enim *ſemel* fit, non officit conſuetudini, ut omnibus patet, & Author ipſe ultro confirmat ſub initium *Diſs. pag.* 7. ubi, inquit, cum ſuo *Gobatto*, non eſſe proprie Recidivum, de quo diſputatur, qui *ſemel, vel bis intra aliquod notabile tempus relapſus eſt poſt unicam factam confeſſionem*. Ergo cum s. Philippus ſemel, atque unum dumtaxat abſolverit Recidivum, ut ex ejus vita Author ipſe

ipſe opponit, neceſſario conſequitur, communiter virum ſanctum non abſolviſſe Recidivos conſuetudinarios: atque adeo improbare, & deteſtari probabiliſtarum opinionem. Recita verba P. Baccii *ex lib. 2. cap. 3.* (non *6.* ut ſcribit Author noſter) ubi in prima editione haec habet. *Andò per confeſsarſi da Lui un Penitente così immerſo in difetto, che quaſi ogni giorno vi cadeva, a cui Filippo non dette altra Penitenza, ſe non che, quando aveſse comeſso quell' errore, ſubito ſenza prolungar niente tornaſse a confeſsarſi, e non aſpettaſse di cadervi la seconda volta. Obbedì il Penitente, e Filippo ſempre l' aſsolveva, non gli dando altra penitenza che quella. MIRABIL COSA! Con queſto ſolo l' ajutò in modo, che in pochi meſi reſtò libero non ſolamente da quel peccato, ma dagli altri ancora, arrivando a tal ſegno di perfezione, che come diſse l' iſteſso B. Padre, in breviſſimo tempo diventò come un' Angelo.* Si hoc ſine peculiari illuſtratione factum dijudicemus; aperte pugnat cum Tridentino Concilio jubente, ut pro graviſſimis delictis congrua, ideſt gravis poenitentia poenitentibus imponatur. Verum Hiſtoricus loco prodigii, & praeter communem ordinem hoc narrat; ut produnt verba illa: *Mirabil coſa!*

XIV. Rem hanc ut evidentius intelligas, Chriſtiane lector, & quam immerito iſtud exemplum in confirmationem laxae opinionis producatur, ſcias velim, s. Philippum divino afflatu perfuſum fuiſſe, quo ſecreta hominum dignoſcebat, ſicut in Romano Breviario habetur: *Idque aſsecutus eſt, ut eos, qui puritatem colerent, ex odore: qui vero ſecus, ex foetore dignoſceret.* Spectavit ergo divino lumine illuſtratus Philippus vehementem poenitentis, quemadmodum Chriſtus Publicani fervorem, & conatum. Idcirco ſuavi, & induſtrio quodam modo intra paucos menſes eumdem morbo curavit, ſanctificavit, atque ad perfectionis apicem perduxit. Num, quot Confeſſarii noſtri temporis, tot ſunt Nerii; qui amaſios, & amaſias intra paucos menſes ad meliorem frugem revocent, ſanctificent, & veluti Angelos efficiant? Ab Experimento, quod ſupra protuli, tu ipſe, lector, intelliges.

XV. Narrata s. Philippi hiſtoria, quid continuo *pag.*30. Author *Diſsertationis* deducat, attende. „ Notes proinde, Recidivos poſſe TOTIES QUOTIES ABSOLVI, quando actu „ vere dolent, ac proponunt. Id Confeſſario innoteſcit ex „ ALIQUO ad emendationem conatu: QUALIS certe eſt „ reditus ad confeſſionem ex Confeſſarii praeſcripto, ac propterea iidem ſpem faciunt *futurae tandem STABILIS con-* „ *verſionis*. „

XVI. *Notare* ergo Confeſsarii debent ex prodigioſo s. Philippi eventu, poſse *TOTIES QUOTIES* abſolvere Recidivos conſuetudinarios frequenter poſt plures Confeſſiones relabentes? Quid ſi intra menſes paucos, quemadmodum s. Philippus, non converterent ſuos poenitentes? Quid ſi intra annum, quid ſi intra biennium, quid ſi intra ſexennium, & decennium eoſdem non ſanctificarent? Quid ſi in perpetuo vitiorum, & Confeſſionum circulo vitam hi poenitentes ducerent? Preſſius rem agamus. Ex peculiari, & mirifico s. Patriarchae Philippi Nerii exemplo unico regulam generalem Author noſter colligit abſolvendi TOTIES QUOTIES Recidivos conſuetudinarios, ſi ex conſilio Confeſsarii redeant ad Confeſſionem? Haec juſta argumentandi ratio non eſt, ſi vel Logicam ipſam, nedum Evangelium ſpectemus. Quod ſemel s. Philippus caeleſti lumine, ut pie creditur, operatus eſt, communiter omnes agere Confeſſarii non debent. Atque hinc concluditur, non modo hac s. Philippi hiſtoria non confirmari, ſed penitus everti Authoris noſtri opinionem, ut cuique ſenſu communi praedito exploratum, compertumque eſt.

XVII. De s. FRANCISCO SALESIO nihil tranſcribit praefatus Author: ſed aſſerens, diſcretione, & ſuavitate mirabili illum excepiſse poenitentes etiam ex remotiſſimis partibus ad eumdem venientes, *pag.*30. ita ſubdit: *Numquam legimus, ipſum inabſolutos eos dimiſiſse, aut dimittendos docuiſse, qui non fleviſsent diu, vel qui pravos habitus longa emendatione non ENERVASSENT*.

XVIII. Non debent ergo frequenter relapſi poſt plures con-

confeſſiones, & pravis habitibus irretiti lacrymis diuturnis, & toto virium conatu habitus vitioſos *enervare*, nedum eradicare, & evellere? Dum talia Chriſtiani, & imperiti Confeſsarii legunt, laetantur in rebus peſſimis, & hi ad abſolvendum, illi ad continuandos pravos habitus animantur. *Nunquam legimus, ipſum inabſolutos eos dimiſiſſe*. Nunquam legimus? Sed quid legit de s. Franciſco Saleſio? Legitne ejusdem conſtitutiones Synodales, quarum verba ſupra reſcripſi *cap. 6.*, & iterum reſcribenda ſunt, ne, ſi forte ibi non attenderit, *nunquam legimus* repetat: *Nihil perinde Eccleſiam dedecorat, nihil ita ejus violat diſciplinam in ſomnolenti peccandi conſuetudine, quam probroſus ille mos, quo quidam Presbyteri peccata relaxant, non tamquam judices, qui prudenti, & gravi criminum diſcuſſione diſcernant, num pro eo poſſint pronuntiare: verum tamquam mancipia, quae, praecipiti, & adulante indulgentia, peccatoribus blandiuntur. De iſtis adulatoribus dicit Cyprianus, quod inducant in Eccleſiam* (N. B.) *dulcem crudelitatem miſericordiae, & clementiae nomine palliatam, eamque, quam dant pacem, irritam, & nihil accipientibus profuturam..... Ea propter, ut abuſus iſte eradicetur, Confeſsarii DIFFERANT ABSOLUTIONEM iis, qui vitioſis habitibus eradicandis nervos* (N. B.) *omnes non intenderint in Confeſſione alias admoniti, & correpti*. Quid plura? S. Franciſcus Saleſius ex decem millibus vix unum Confeſsarium tanto exercendo miniſterio dignum agnoſcit. Deleat nunc citatus Author illud ſuum *nunquam legimus*, & conſulat laudatas Conſtitutiones Synodales, ſervetque vitae ejuſdem Sancti lectionem pro oratione mentali peragenda, ſecus pro imbuendis Confeſsariis in Recidivorum abſolutione.

XIX. S. ANDRAEAE AVELLINI in excipiendis confeſſionibus miram *pietatem, & prudentiam* commendat. Has, & alias plures dotes habuiſse ſanctum Andraeam omnes admirantur. „ At memoriae nuſquam proditum eſt (inquit Author „ Diſsert. *pag.* 30.) eos rejeciſse, qui operibus ſatisfactoriis „ ſuum dolorem, & conſtans propoſitum non probaſsent, aut

„ in-

Digitized by Google

„ incapaces ſimpliciter eos cenſuiſſe, qui ſoliti fuerant poſt „ VARIAS Confeſſiones in eadem, vel diverſa peccata SAE- „ PIUS reincidere: quinimo accepimus, ipſum tum Placen- „ tiae, tum Neapoli ſtatim abſolviſſe inveteratae malitiae „ homines, qui ejus commoti adhortationibus dolentes ſua „ illi peccata Sacramentali confeſſione expoſuerant „.

XX. Unde eruitur, quodnam monumentum adfertur, quod inveteratae malitiae homines poſt *varias confeſſiones in eadem, aut diverſa peccata SAEPIUS reincidere ſolitos ſtatim abſolvebat*? Nullum. Ergo gratis imponit Author s. Andraeae Avellino, quod contra perpetuam, & univerſalem Eccleſiae diſciplinam ſtatim abſolverit deſcriptos inveteratae malitiae homines. Nam ſi hujuſmodi peccatores ita rite diſpoſiti habentur, ut ſtatim ac accedunt ad confeſſionem, digni abſolutione cenſeantur, omnes communiter vel ſceleſtiſſimi homines ſalutem aeternam conſequentur. Quod profecto non conſiſtit cum evangelica doctrina de electorum ex ipſis catholicis adultis paucitate. Aut ergo negandum, paucos eſſe electos, *viamque latam, & ſpatioſam*, quæ, teſte Chriſto Jeſu, ducit ad perditionem, media confeſſione, & abſolutione perducere ad Regnum aeternum: aut improbanda, & retractanda eſt præfata doctrina s. Andraeae Avellino impoſita. Quaenam autem via latior, & ſpatioſior illa, quam percurrunt inveteratae malitiae peccatores, ſaepius poſt varias confeſſiones in eadem, aut diverſa peccata prolabentes? Quid excogitari facilius poteſt, quam narrare ſcelera uni Confeſſario, & ab eodem remiſſionem obtinere?

XXI. Quod de P. Petro Fabri narrat ex Hiſtoria Orlandini author *Diſsertationis*, nihil prorſus ad præſentem controverſiam facit. *Neminem*, inquit, *ita dimittas, quin libenter ſit rediturus*. Ita ſane, ut alias dixi, curare ſacer Miniſter debet. At ſi poenitens ſua malitia libenter redire nollet? Quid ſi poſt ferventiſſimas Confeſſoris adhortationes, & omni ſuavitate plenas perſuaſiones, poenitentes nolint a mundi oblectamentis, & periculoſis illecebris abſtinere, ut communiter accidit?

De-

Digitized by Google

Debet ne Confeſſarius eoſdem abſolvere, ut in eamdem ipſorum aeternam damnationem cadat? Etiam auctoritatem Caſuiſtae Leandri a Murcia obtrudere *pagin.* 31 author noſter ſatagit dicentis: *Differri abſolutionem non eſt remedium, ſed potius medium, quo in deſperationem ruant, vel quo odioſa reddatur eis confeſſio*. Quibus verbis ſatis eſſe arbitror reſponſum, ſi ſuperius dicta recolantur.

CAPUT UNDECIMUM.

Oppoſitio ex Rituali Romano diluitur.

AUthor *cit. Diſs. pag.* 12. haec ex Rituali Romano opponit: *In peccata facile recidentibus utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſaepe, puta ſemel in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat, communicent*. Ergo, infert Author, ex Rituali Romano poſsunt Recidivi adhuc non integre ſanati ad poenitentiae Sacramentum accedere, idque illis utiliſſimum eſt, *ut ab ipſo Sacramento ad totalem, & ſtabilem emendationem roborentur*.

II. Ut authoris iſtius ſinceritas in referendis documentis omnibus pateat, duo animadvertenda propono. Primum eſt, nec verbulum ibi habere Rituale Romanum de abſolvendis recidivis, ſed de remediis loquitur Rituale, quae praeſcribi a Confeſſario debent. Graviter detruncatus textus ab Authore reſcribitur, adeovt Lector, de qua re fiat ſermo, deprehendere non poſſit. En integrum Ritualis teſtimonium. *Quare curet*, (Confeſſarius) *quantum fieri poteſt, ut contrarias peccatis poenitentias injungat: veluti avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia. Rarius autem, vel ſerius confitentibus, vel in peccata facile relabentibus utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſaepe, puta ſemel in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat, communicent.*

III. Eleemoſynas, jejunia, carnis afflictationes, humilitatis

tatis

Digitized by Google

tatis exercitia caute author ſuppreſſit, quia delicatiſſimis, etſi ſceleſtiſſimis poenitentibus aetatis noſtrae haec remedia non expediunt. Meminit dumtaxat frequentiae confeſſionis, quia haec neque corpuſcula, neque animas affligit poenitentium. Ad rem quod attinet: omnes ad unum adfirmamus, frequentiam Sacramentorum remedium utiliſſimum eſſe ad vitae emendationem. Hanc frequentiam conſulit Rituale Romanum in hypotheſi, quod ſit medicina, quae ſanitatem afferat. De abſolvendis autem *Recidivis conſuetudinariis, qui poſt plures confeſſiones frequenter in eadem peccata relabuntur*, ne verbum quidem habet eo loci Rituale Romanum; alias ſibi ipſi contradiceret, tum quia confeſſiones iſtorum ſarcinam aggravant delictorum, & communiones Euchariſticum panem in venenum ſibi convertunt, ut fuſe ſuperius demonſtravimus; tum quia dictum Rituale continuo poſt tres lineas integrum habet paragraphum, in quo longe diſtans ab ea, quam author exhibet, doctrina traditur de impertienda, vel neganda Recidivis abſolutione. Intende aures, & oculos, lector, ut & truncatum textum agnoſcas, & ſanam Ritualis praxim ſuſcipias. Haec ſunt illius verba. *Videat autem DILIGENTER Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio: ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces, quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut ALIO MODO peccata DERELINQUERE, & VITAM IN MELIUS EMENDARE NOLENT, aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant. Neque etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt Superioribus reſervata.*

IV. Haec omnia quanto magis ſilentio praeterit Author noſter, tanto ejuſdem, & aliorum Caſuiſtarum doctrinam improbant. *Nam vitam in melius emendare nolunt* Recidivi conſuetudinarii, qui *poſt plures Confeſſiones frequenter in eadem peccata prolabuntur*. Non debita ſolvunt. Non *ſigna doloris perhibent*, qui tot lapſibus mentiuntur. Non publicum ſcandalum

lum tollunt, qui multum temporis in conviviis, in ludis, choreis, comoediis, & promiſcua virorum, & faeminarum converſatione conſumunt, & otio diffluunt; nec pompas, luxum, & vanitates, quibus ſolemni ritu in Baptiſmate renuntiarunt; poſt tot Confeſſiones dimiſerunt, nec ab occaſione tot ſcelerum ſeſe eripuerunt; Ideoque his omnibus denegandam eſſe abſolutionem praeſcribit Rituale Romanum: cujus verba forte Author non legit *in fonte*, ſed ex aliquo Caſuiſta ita truncata reſcripſit.

CAPUT DUODECIMUM.

Refellitur doctrina tradita in opuſculo inſcripto: La Prattica di confeſſare, *& ab Authore Diſſertationis propugnata.*

IN libello, cui titulus: *La pratica di Confeſſare*, in quo ſermo habetur de Recidivis, & pravis habitibus irretitis, pro iisdem ſanandis haec traduntur pag. 124. *Un tal rimedio poi conſiſtente nel differire l'aſsoluzione univerſalmente non credo ſia bene uſarlo con chi PRECISAMENTE ricade per FORZA del mal abito, ed inclinazione cattiva, ma che HA FATTO PEL PASSATO CIO', CHE HA POTUTO, e di preſente ha buona volontà di fare ciò che può per aſtenerſene.* Quae ſic latine reddo. „ Hoc autem differendae abſolutionis remedium „ univerſe adhibendum cum eo, qui *praeciſe vi pravi habitus*, „ & malae inclinationis relabitur, opportunum non exiſtimo, „ cum, elapſo tempore, ID, QUOD POTUIT, PRAESTITIT, „ & nunc bona praeditus eſt voluntate abſtinendi a peccatis. „

II. Nemo non videt, hic ſermonem haberi de poenitente ſaepius juſtificato per poenitentiae Sacramentum; qui praeciſe vi habitus vitioſi, & pravae inclinationis relabitur, licet hactenus, quae potuit, peregerit, ut ſe ſe emendaret. Ergo juſto iſti volenti, & conanti impoſſibilia ſunt Dei praecepta. Deeſt quoque gratia, qua poſſibilia fiant. Nam ſi id, *quod potuit, fecit*, & nihilominus *praeciſe relabitur ex habitus pravi*

impetu, neceſſario conſequitur, peccatorem hunc viribus deſtitutum eſſe, quibus a peccandi conſuetudine ſe ſe abſtineat.

III. Ut ſe ab hac luculentiſſima argumentatione diſſolvat Author *Diſſertationis*, qui praefati libelli doctrinam amplectitur, non conjunctim, ſed ſeparatim differere conatur: adeo ut unam rerum colligationem abſcindat, & in duas partes dividat: nimium I. *Relabitur praeciſe vi habitus vitioſi*: II. *fecit, quod potuit, ne relabetur*: at fruſtra, ut infra patefaciam num v. Interim ejus verba promantur ex pagin. 22, & 23. „ „ Haec habent graves hi Doctores (nempe Lugo, Layman, „ Conynch, Platelius, Segneri &c.) quibus, aliiſque, uno „ commemorato Filliuccio, adhaerebat auctor opuſculi, cujus „ titulus: *La Pratica di confeſſare*.... Iidem etiam allegati „ Doctores, aliique conveniunt in eo, quod Recidivi, qui di- „ cuntur labi ex *vi praeciſe ſolius habitus*, non idcirco cen- „ ſeantur labi *neceſſario, & ſine libertate indifferentiae*. Nam „ quod quis peccet ex vi praeciſe ſolius habitus, non eſt, „ quod peccet *indeliberate*.... Quocirca *peccare ex vi prae- „ ciſe ſolius habitus* eſt, quod quis peccet ſciens, & volens, „ *nulla* tamen *paſſione* allectus, nec ab externo aliquo motus, „ ut notat Vaſquez. Nec quiſquam replicet, hanc poteſtatem „ reſiſtendi intelligi homini ſublatam, quando is peccat ex vi „ praeciſe ſolius habitus in circumſtantia, qua ille antece- „ denter fecerit, quantum in ſe erat, ad eum habitum evel- „ lendum, & nunc propenat facere, quantum in ſe eſt ad „ ipſum vincendum: Non, inquam, id quiſquam replicet. Nam „ ex eo, quod is peccat, qui ante lapſum conatus fuerat, „ quantum poterat, ad evellendum habitum, & nunc poſt la- „ pſum proponit facere, quantum poteſt, ad eum vincendum, „ infertur quidem, quod habitus, ſeu prava diſpoſitio ad pec- „ candum *ſit illi hic & nunc involuntaria*, *nec reputetur* „ *tamquam ſuppoſitio libera*, *ſed neceſſaria*. Infertur etiam, „ quod ea conſuetudo verſa ſit quodammodo in naturam, nec „ jam ſit in poteſtate hominis illam tam cito extirpare, ut be- „ ne advertit Suarez.... at nullatenus *infertur*, quod *PHY-*

„ *SI-*

Digitized by Google

„ *SICAE*,& abſolute nequeat homo reſiſtere, ſi voluerit, im-
„ pulſui, & inclinationi talis habitus, ſeu pravae talis diſpo-
„ ſitionis: nullus ſiquidem obex poſitus eſt, *qui antecedenter*
„ *impoſſibilitet voluntati* talem reſiſtentiam.„

IV. Si gratia donati per abſolutionem Sacramentalem: ſi Euchariſtico pabulo refecti, & uberrima caeleſtium donorum copia armati relabuntur praeciſe ex habitis mali impulſu: & ne prolaberentur, quoad potuerunt, praeſtare non neglexere; quid ultra requiritur, ut dicatur iſtis Recidivis deeſſe vires, quibus mandata ſervent? Quod, ut melius pateat, alia ejuſdem authoris verba ex pag. 25. reſcribo.„ Non eſt ita-
„ que, cur redarguatur Auctor praefati libelli: *Pratica di con-*
„ *feſsare*, veluti Janſeniſmum ſapiat, propterea quod ſuppo-
„ ſuerit, Recidivos aliquando peccare *ex vi praeciſe ſolius ha-*
„ *bitus*. Utique non errarent Janſeniani, ſi ſolum id docerent:
„ & *valde miror Recentiorem hunc redarguentem* hac in re
„ plusquam aequo ſollicitum eſſe de libertate indifferentiae,
„ cum ipſe docuerit *juſtificationem Chriſtianam infuſam per*
„ *Sacramentum poenitentiae eſse* (ita pag. 182, & 183.) *fir-*
„ *mam, conſtantem, ſtabilem, ideoque communiter non contin-*
„ *gere, ut vere juſtificatus relabatur, & ſi id contingat (ne-*
„ *ſcierim qua vi, aut impulſu) illum ſtatim inter gemitus,*
„ *& poenitentias reſurgere*. Quod profecto utrum, & quate-
„ nus cohaereat cum Scripturis, cum Tridentino, & cum ipſa
„ libertate indifferentiae, judicium ſit penes alios. Certe Cal-
„ vinianus error de firmitate, & inamiſſibilitate juſtificationis
„ omnibus illis adverſatur.„

V. Plura hic continentur animadverſionibus digna. Et ut ab eis verbis incipiam: *Non eſt itaque, cur redarguatur Author praefati libelli*: abſit, ut redarguatur Author, immo authorem illum ſuſpicio, & veneror ſincero obſequio, ut virum probum, atque pium. Ejuſdem dumtaxat opinionem, ne dicam errorem, rejicio, & refello. *Quaſi Janſeniſmum ſapiat, propterea quod ſuppoſuerit, Recidivos aliquando peccare ex vi praeciſe ſolius habitus*. Baſilice fallitur, & fallit Diſſertator

Digitized by Google

novus. Janſeniſmi non arguo praefatam opinionem ob hanc ſolam periocam: quod Recidivi *relabantur praeciſe ex vi ſolius habitus pravi*: ſed ob aliam ſimul junctam propoſitionem, nempe: quod recidivi iſti relabentes praeciſe ex vi ſolius habitus, *hactenus id praeſtiterint*, *quod potuerunt*. Haec duo membra ſimul conjuncta Janſeniana lue infecta aſſero: nam ſermo eſt, ut dixi, de Recidivis per Sacramentum poenitentiae, & Euchariſtiae juſtificatis, & copia caeleſtium donorum inſtructis. Clamat Diſſertator: *Valde miror Recentiorem hunc redarguentem hac in re plus aequo ſollicitum eſſe de libertate indifferentiae*. Et ego ſummopere, nedum valde, miror, Diſſertatorem noſtrum ignorare quinque propoſitiones Janſenianas. Janſeniſmi arguo praefatam doctrinam, non quod contineat errorem tertiae propoſitionis, quae negat libertatem indifferentiae: ſed quod contineat errorem primae theſis, quae juſtis volentibus, &conantibus negat vires, &gratiam ad implenda divina praecepta, Porro ſi Recidivi toties juſtificati prolabuntur praeciſe vi pravi habitus, &, quod potuerunt, hactenus praeſtiterunt; dicat ipſe, quid diſcriminis ſit inter ſuam, & primam propoſitionem Janſenii. Afflictam, deſperatamque eſſe cauſam ſuam fatetur, cum aſſerit praefatos recidivos praeditos eſſe *libertate phyſica*. Quoniam nulla nunc diſputatio de hac *phyſica libertate*, quam nec Lutherus, nec Calvinus, nec Janſenius negant: ſed de libertate morali, & de viribus, quibus implere poſſunt recidivi divina mandata. Aberrat ergo toto oſtio, & dum ſcyllam declinare eluctatur, in Carybdim incidit.

VI. Sed ultima ejus verba ad criticen revocanda ſunt. „ Cum ipſe docuerit, *Juſtificationem Chriſtianam infuſam* „ *per Sacramentum poenitentiae eſſe firmam, conſtantem, ac* „ *ſtabilem, ideoque communiter non contingere, ut vere juſti-* „ *ficatus relabatur, & ſi id contigat* (neſcierim qua vi, aut „ impulſu) *illum ſtatim inter gemitus, & poenitentias reſur-* „ *gere*. Quod profecto utrum, & quatenus cohaereat cum „ Scripturis, cum Tridentino, & cum ipſa libertate indif-

„ feren-

„ ferentiae, judicium ſit penes alios. Certe Calvinianus „ error de firmitate, & inamiſſibilitate juſtificationis om- „ nibus illis adverſatur „. Calvinianus error? Nonne sanctus Paulus juſtificationem *ſtabilem* appellat? Nonne ipſe Chriſtus Dominus Joan. 8. inquit: *Vade, & jam amplius noli peccare*? Et rurſus Joan. epiſt. 1. cap. 3. *Filioli nemo vos ſeducat .... Omnis qui natus ex Deo eſt, peccatum non facit, quoniam ex Deo natus eſt*. Non cohaeret, cum Scripturis ſanctis, quod juſtificatio divina ſit natura ſua ſtabilis: & cohaeret cum Scripturis ſanctis, quod ſit *mutabilis*, *inſtabilis*, *& verſatilis* etſi Scripturae ſanctae *ſtabilem* appellant? Non cohaeret cum libertate indifferentiae, quod verae *juſtificatus communiter non relabatur*: & cohaeret cum libertate indifferentiae, & cum Tridentino, quod *vere juſtificati communiter relabantur*, & in continua relapſuum, & confeſſionum viciſſitudine revolvantur? Audiat Author Spiritum Sanctum loquentem Ecclef. 27. *Homo ſanctus in ſapientia manet, ſicut ſol: Nam ſtultus ſicut Luna mutatur*. Quod ſi contingat, ut vere juſtificatus relabatur, ſtatim cum gemitu, & poenitentia reſurgit: contra Recidivi de ſordibus ad lavacrum, de lavacro frequenter ad ſordes redeunt. Nonne ergo ſtulti? Num ſapientes ſint, & divino Spiritu perfuſi horum ſtultorum ductores, ceteri judicent.

VII. Clamat Author noſter: *Neſcierim qua vi, aut impulſu*. Magiſter in Iſrael es, & quidem Sacerdotum, & haec ignoras? Pandam ego. Reſurgit auxilio gratiae, non indifferentis, non verſatilis, quae ab humana infirmitate ſuam efficacitatem accipiat, ſed ope divinae, victricis, & triumphatricis, quae a Deo ipſo, & infinitis Chriſti Jeſu meritis ſuam efficaciam haurit. Reſurgit impulſu Spiritus Sancti, ſicut ſtatim a peccato ſurrexit inter gemitus, & lacrymas Petrus Apoſtolus, qui eſt juſtorum labentium, & reſurgentium exemplar. Sed quemadmodum compertum forte non habuiſſet Author noſter errorem Calvinianum de *inamiſſibilitate* juſtificationis, niſi improbatum legiſſet in libro inſcripto: *Iſtruzione de' Confeſſori* &c; ita perſpecta illi ſatis non fuit prima theſis Janſeniana.

niana. Quid, quod ipſe Author in ſua Diſſ. pag.30. *ſtabilem* vel nolens juſtificationem appellat; *Iidem*, *inquiens*, *faciunt futurae tandem STABILIS juſtificationis*. Quare ergo cohaeret cum Scripturis, cum Tridentino, cum libertate indifferentiae, quam ille juſtificationi tribuit, *ſtabilitatis* appellatio, non cohaeret vero, ſi ab aliis tribuatur?

VIII. Unum ſupereſt: nempe oppoſitionem ex auctoritate s. Bernardi, quam Author noſter ad vim habitus demonſtrandam ſubjicit pag.24, paucis retundere. Verba s. Doctoris haec ſunt in ſerm. de ſeptem donis Spiritus Sancti. *Quemadmodum miſera nimium, & miſerabilis humana fragilitas ſine pruritu concupiſcentiae, aut impetu deſiderii ſola conſuetudine ipſa ad illicita trahatur, utinam omnibus liceat ignorare*. Mirum! In univerſa Diſſertatione ne unum quidem aliud ex Patribus adducit Teſtimonium; & hoc, quod adducit, truncatum eſt, & penitus ſuam doctrinam evertit. Et primo, quod truncatus textus ſit, vide lector ex iis, quæ praemittit s. Bernardus. *Contra hanc igitur concupiſcentiam mali dimicat Fortitudo. Neque enim ulla jam, niſi in MANU FORTI, liberatio eſt. Indicat ſibi homo jejunia, corpus caſtiget, & ſubjiciat ſervituti, ne forte jam de radice colubri egrediatur regulus, & de concupiſcentia conſuetudo*. Haec omnia niſi ſuppreſſiſſet author Diſſertationis, auſus non eſſet ea, quae ſecuntur ex D. Bernardo, ad recidivorum habitum tuendum referre. Ad ſecundum quod attinet: omnes fatemur pravam peccandi conſuetudinem ita praevalere, & dominari in peccatore, ut illum ad peccandum inducat. Idcirco omnes docent ad ejuſdem victoriam requiri non *aliquem*, ſed totum conatum, non *aliquam*, ſed plenam induſtriam; & s. Bernardus in manu forti ſitam eſſe liberationem tradit: ideſt, jejunia indici, corpus caſtigari, & ſubjici ſervituti oportere. Nonne in recidivis revera juſtificatis juſtificatione, quam docent Scriptura, & Patres, extenuatur habitus, debilitatur conſuetudo, & dominatur gratia Chriſti, neque amplius relabuntur vi habitus? Ergo Recidivi tantum, qui juſtificantur juſtificatione caſuiſtica,

quam

Digitized by Google

quam excogitarunt Sanchez, Platelius, Gobattus, Lugo, La Croix, Manrique, Filliuccius, aliique, quibus adhaeret author Diſſertat. relabuntur *praeciſe vi habitus, & conſuetudinis pravae*; quia in iiſdem non dominatur gratia, ſed habitus. Quapropter inquit s.Thomas 3. *p.qu.* 86. *ar.* 5. *Nihil prohibet, quin, remiſſa culpa, remaneant diſpoſitiones ex praecedentibus actibus cauſatae, quae dicuntur peccati reliquiae. Remanent autem debilitatae, & diminutae, ita quod homini non dominentur; & hoc magis per modum diſpoſitionum, quam per modum habituum.*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Rigoriſmi nota ad Authore Diſſertationis injuſta Merbeſio, Genetto, & Jueninio penitus tollitur, eorumque doctrina expenditur, & vindicatur.

NOn contentus author *citat. Diſsert.* ad ſuam opinionem invitos trahere tum Doctores, tum celebres ſanctitate viros; eo etiam pervenit, ut aliquot ex recentioribus praeſtantiſſimis Theologis, quos ſibi conciliare nullo modo poteſt, tamquam ſuſpectae doctrinae reos arguat. Hi ſunt praecipue Bonus Merbeſius, Franciſcus Genettus, & Caſpar Juenin. Merbeſii doctrinam his verbis refert pag. 11. *Quare non aſſentimur Merbeſio, aliiſque ejuſdem SCHOLAE Doctoribus, qui, ut infra videbimus, exigunt integram, ac ſtabilem emendationem operibus poenitentiae, & charitatis antecedenter probatam ad hoc, ut Recidivus poſſit abſolvi. Non abſolvendus eſt peccator, inquit Merbeſius pag.* 141. *ſtatim, atque rarius in peccata, peccandi conſuetudine altius infixa cadit, in quae tamen identidem relabitur. Nam illi in peccata laethalia relapſus, etſi rariores, hunc hominem nondum in priſtinam ſanitatem reſtitutum eſſe liquido declarant. Perinde, ac ſi Sacramentum inſtitutum a Chriſto pro mortuis, ſit jam ſuſcipiendum a ſanis, nedum a vivis.*

II. Alio-

II. Aliorum Theologorum perſtringit doctrinam, nempe Genetti, & Juenin, de quibus *pag.* 15. haec ſcribit: *Poſtremo docent, negandam omnino eſſe abſolutionem Recidivis conſuetudinariis, qui non adhuc ſuſtulerint, aut certe enervaverint pravos habitus, & pravam conſuetudinem, ac tandiu illos inabſolutos relinquendos, quandiu non ita vixerint, ut affirmari poſſit: vitam mutarunt, liberi ſunt ab omni pravo habitu, & conſuedine; quod ſane plurium menſium, aut etiam plurium annorum opus eſt, ipſomet talium Doctorum judicio. Ita apud Juvenin loc. cit.* (Diſs. 6. qu. 7. cap. 4. art. 7.) *Addunt quod poenitens, cum ex ſe judicare nequeat, quandonam pravam conſuetudinem vel ſuſtulerit, vel debilitarit, debet quidem redire ad Confeſſarium, non tamen certo abſolvendus, etiamſi per aliquot hebdomadas in idem peccatum non reinciderit, & in actibus fidei, ſpei, & charitatis ſe exercuerit: ſed iterum audiendus, an bene ſe geſſerit. Ita apud Genettum de poeniten. tract. 6. cap. 7. & apud Opſtraet in Paſt. bono pag.* 204. *Pater la Fontein ad Propoſ. Lxxxviii. inter proſcriptas a Clemente XI. originem ſeverioris hujus doctrinae refert ad fontes valde lutulentos &c.* Rurſus pag. 34. loquens de praefatis Auctoribus inquit: *Quam qui oppoſitum cum Merbeſio, Opſtraet, Juenin, ALIISQUE HUJUS NOTAE contenderit &c.*

III. Velim oſtendas, quid quaeſo prodant haec verba: *hujus SCHOLAE*? Siquidem fateor, me non percipere horum verborum ſenſum, cum me lateat, Merbeſium aliquam aperuiſſe *Scholam*. Haec Schola Merbeſiana mihi prorſus ignota eſt. Minus capio vim horum verborum *HUJUS NOTAE*. Non capis, non percipis? Exponam ego.. Schola Merbeſiana ſignificat Scholam *Rigoriſmi*. *Huius NOTAE*, ideſt *huius Notae Janſenianae, ſeverioris, & rigidioris Doctrinae*. Intellexiſtin? Intellexi. Sed haec omnia mihi invidiae plena apparent. An non diſputatur nunc de juſtificatione Divina, & converſione Recidivorum, juxta regulas Divinae Scripturae, Patrum, & Conciliorum? Dubio procul. Quid ergo obtruditur Spectrum *huius SCHOLAE*, *huius NOTAE*? Videndum,

dum, num doctrina, quam iſti tradunt, ſit Divinis Scripturis conformis.

IV. Hoc eſt aetatis noſtrae faſcinium, & malum, & infortunium. Qui doctrinam aut Evangelicam, aut Evangelio, Patribus, Conciliis, & univerſae Eccleſiae traditioni conformiorem tradere ſtudent, traduci a quibuſdam ſolent tamquam factionum, ne dicam haereſum capita. Continuo inclamatur: Haec eſt doctrina Merbeſiana, Genetiana, Juveniniana, Conciniana, & aliorum *huius NOTAE*, *huius SCHOLAE*. Nihil ego curo ſive Merbeſium, ſive Genettum, ſive Jueninium, ſive Concinam. Homines iſti ſunt, qui errare potuerunt, & poſſunt. Illud nunc in diſputationem venit, num doctrina Merbeſii, Jueninii, & Genetti de abſolutione differenda recidivis conſuetudinariis ſit vera, & Evangelio, Patribus, Conciliis, & Traditioni Eccleſiae Catholicae conformis. Adfirmo ego, & oppoſitam opinionem Sanchezii, Platelii, Gobatti, Manrique, La Croixii, Felicis Poteſtatis, Authoris *cit. Diſſ.*, & aliorum Probabiliſtarum rejicio tamquam falſam, & laxam, contrariamque Scripturis, Patribus, Conciliis, & Eccleſiae traditioni. Paucis perſtringam Merbeſii, Genetti, & Jueninii doctrinam, ut hinc pateat, quae fides Auctori *cit. Diſsert.* praeſtanda ſit; & quanti ſit ejus judicium contra praefatos Theologos habendum.

§. I.

Expenditur, & vindicatur doctrina Merbeſii.

I. PRimum omnium producere lubet elogium, quo ſapientiſſimus Cardinalis AGUIRIUS *Diſs. X. excurs. XI. n.*160. *de Diſcipl. Eccl. Hiſpanic.* commendat *Summam Chriſtianam* Boni Merbeſii his verbis: „ Merbeſius Doctor Theologus, & valde verſatus in Canonibus Sacris, ut ſatis oſtendit *Summa Chriſtiana* ipſius edita duobus vaſtis voluminibus Pariſiis ann. 1683. ſub auſpiciis Illuſtriſſimi D. Caroli Mau-

P „ ritii

Digitized by Google

„ ritii Le Tellier Archiepiſcopi Ducis Remenſis. Non ſum ne-
„ ſcius, id opus a *nonnullis* incuſari *nimiae ſeveritatis, ſeu Ri-*
„ *goris*. Sed fortaſſe, ut ita cenſeant in pleriſque rebus
„ germana cauſa eſt, non quia ſententiae ipſius ſtrictiores
„ juſto ſint, *ſed quod illorum conſcientia laxa eſt*: ut hic quod-
„ ammodo locum habeat dictum illud vetus: *Pedes tui non*
„ *calcant ſpinas, ſed habent*. „

II. Author itaque *Diſsertationis* imponit Merbeſio, quod in hac materia aperuerit Scholam, novamque doctrinam invexerit, cum aliam ille doctrinam non tradat, quam hauſtam ex Scripturis, & Patribus, & Eccleſiae traditione. Legatur integra illa Diſſertatio de poenitentia, in qua nihil occurrit, quod ſanam doctrinam non redoleat, quod compunctionem, & ſpiritum verae poenitentiae non excitet, & quod Confeſſarios non imbuat, ut exercere pro dignitate munus ſuum valeant. Allegat Regulas, quas ſanctus Carolus Borromaeus ſervandas a Confeſsariis praeſcribit in abſolvendis poenitentibus. Caſus quoque enumerat, in quibus neganda, aut differenda abſolutio eſt. Paucos ex multis indicabo.

III. Foeminae, & puellae, quae gradiuntur expanſo, reſeratoque ſinu, quaeque, cum ſaepius admonitae fuerint de malis per illam nudatae cervicis immodeſtiam plurimis importari ſolitis, nihil propterea reſipiſcunt.

IV. Homines utriuſque ſexus, qui celebrant Domos, vel eos adeunt coetus, quibus in peccata carnis per obſcoenas cogitationes, vel per prava deſideria, vel denique per opera libidinoſa ſeſe implicant.

V. Aleatores, qui cum ludum depereant, eo facile capiuntur, & inter ludendum non ſe comprimunt, quin horrendas in blaſphemias, in rixas, in fraudes, & in ſimilia iniquitatis opera proſiliunt.

VI. Quotquot frequentes ſunt in Choreis, in ſaltationibus nocturnis, Comoediis, in quibus, ut plurimum ſeſe effundunt in impura carnis peccata, in flagitioſa nempe deſideria, in obſcoenas cogitationes, in aſpectus impudicos, & demum

mum in libidinoſas attrectationes. Et quamvis tanta inibi peccata non admitterent, Confeſſarii tamen ob peccandi pericula, quae in his occaſionibus adeunt, ijs periculoſas ejuſmodi aberrationes interdicere tenerentur.

VII. Plurimos alios caſus ex Sancto Carolo Borromaeo ibidem, nempe *quaeſt.* 48, Merbeſius adducit, quos brevitatis cauſſa praetereo. Evincit ſubinde, non eſſe abſolvendum eum ſtatim, qui quamvis rarius in peccata peccandi conſuetudine altius infixa cadit, in ea tamen identidem relabitur. Nam illi in peccata laethalia relapſus, etſi rariores, hunc hominem nondum in priſtinam ſanitatem reſtitutum eſſe liquido declarant. Quis enim dicat, eum penitus ex epilepſia, ſeu morbo comitali eſſe recreatum, qui ſemel dumtaxat in menſe totius corporis convulſionem, non perpetuam, cum mentis, & ſenſuum laeſione patitur, cum antea ter in hebdomada eadem illa convulſione conflictaretur? Sancti Patres plerumque falſam poenitentiam eſſe prodiderunt eam, qua quis relaberetur in eadem crimina, ad quae expianda poenitentiam ſuſceperat. Legito apud S. Ambroſ. ſerm. 34., apud S. Hieron. in pſal. 118. apud S. Gregor. hom. 34 in Evang., apud S. Eligium hom. 8, apud Ivonem, & alibi pervulgatum iſtud axioma: *Poenitentia eſt, mala praeterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Plurima Scripturarum, & ss. Patrum teſtimonia allegat in praefata diſſertatione Merbeſius. Et ſane Chriſtus Dominus ad priſtinam ſanitatem reſtituto paralitico, peccatorum imagini, dixit Joan. 5. *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et rurſus Adulterae mulieri idem praeſcripſit: *Nec ego te condemnabo. Vade, & jam amplius noli peccare*: *Joan.* 8. Ex his Chriſti tam verbis, quam factis Eccleſia omnibus retro ſaeculis conſtantiſſime docuit, eos dumtaxat reconciliationis gratia donandos eſſe, qui ſua crimina lugerent, deteſtarentur, fugerent, & in eadem, ſuccurrente Jeſu Chriſti gratia, non relaberentur, aliquo raro eventu, & inopinata tentatione ſublata.

VIII. En Scholam, unde Merbeſius ſuam doctrinam hau-

ſit; quam Author Diſſertationis nunquam efficere poterit, ut novitatis arguant aequi rerum aeſtimatores. Si opponat pagin. 11. *Quia Chriſtus Dominus non ita hoc Sacramentum inſtituit, ut conferretur ſoli non relapſuro, aut ſoli ei, de quo non timetur futurus relapſus, ſed voluit conferri diſpoſitis, nempe legitime confeſſis, & habentibus actu ſincerum cum vero dolore propoſitum (ex Trid. ſeſſ. 14. c. 3.) ſimulque praebentibus ſpem emendationis*: haec eſt nimium craſſa petitio principii. Quis vel in diſputationem revocat *rite diſpoſitis* adminiſtrandum eſſe Sacramentum poenitentiae? Illud eſt diſputationis argumentum, num Recidivi conſuetudinarii frequenter poſt plures confeſſiones relabentes in eadem peccata ſint rite diſpoſiti. Negant Scripturae, Patres omnium Saeculorum, & graviores, doctioreſque Theologi.

IX. Contra inſiſtit Author noſter ibidem: *Poteſt autem id totum haberi, etiamſi poenitens non fuerit adhuc longo temporis experimento integre ſanatus, nec pravos habitus ENERVAVERIT, aut radicitus extirpaverit, unde timeatur, vel etiam PRAEVIDEATUR ex communiter contingentibus illum eſſe relapſurum*. De fide eſt, in poenitente vere juſtificato dominari gratiam ſanctificantem: ergo habitus pravi ſunt *enervati*, ſeu debilitati, & ſubjecti dominio gratiae. Ergo evidenter errat Author, negans habitus pravos *enervatos* in poenitente juſtificato. Quod ſi Recidivus conſuetudinarius, licet praevideatur ex communiter contingentibus relapſurus, abſolvi poteſt; ergo communiter contingit, ut Recidivi conſuetudinarii juſtificati per plures confeſſiones relabantur in eadem peccata. Nonne haec Theologia vere accommodatitia videtur, & hodiernis poenitentibus, qui in perpetuo Confeſſionum, & flagitiorum circulo revolvuntur, opportuniſſima? Cujus generis, quaeſo, eſt juſtificatio iſthaec? Non ſane Divina, quae vires efficaciſſimas praebet ad perſeverandum in gratia: ſed eſt juſtificatio humana excogitata a quibuſdam Caſuiſtis.

X. Clarius aperit mentem ſuam pag. 12. Author laudatus inquiens: *Poteſt quippe Confeſſarius, attento hoc dolore, ac propoſi-*

Digitized by Google

poſito ſperare fore, ut ille abſolutus primo rarius cadat, adeoque ALIQUALITER EMENDETUR, inde emendetur penitus. Audiſtin? Datur ergo juſtificatio, in qua *aliqualiter* poenitens emendatur. Cujus naturae eſt juſtificatio haec? Divinae? Nequaquam. Clamat enim s. Jacobus Epiſt. cap. 2. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. Dimidiata ergo juſtificatio eſt. Quid, quod neque dimidiatam emendationem requirit Author noſter, ſed tantum *aliqualem*. Inquit enim, Confeſſarius ſperare poteſt, *ut ille abſolutus primo rarius cadat, adeoque ALIQUALITER emendetur, inde emendetur penitus*. Quae ſane emendatio nova eſt, & univerſae antiquitati incognita. Inveniant enim ſive in Scriptura, ſive in aliquo ſancto Doctore, ſive in aliquo Concilio, quod Confeſsarius abſolvere eum Recidivum conſuetudinarium poſſit, quem *aliqualiter, & non plene emendandum ſperat, & credit*. Revolvat Author *cit. Diſſertat.* ſuos Platelios, Gobattos, Uloas, Sanchezios, La Croixios, Francolinos, quos ait, calluiſſe Scripturas, & Patres, & inde hauriat documenta, ſi poteſt, quibus evincat, componi cum abſolutione Sacramentali Recidivi conſuetudinarii *aliqualem emendationem* poſſe.

XI. Inſiſtit Author noſter: *Poenitens in eo etiam ſtatu poteſt ex corde dolere, & ſincere proponere: non enim illi deeſt libertas, nec ſufficiens gratiae auxilium ad eos ſupernaturales actus eliciendos*. Ita ne vero? Sed nunc non diſputatur de poſſibilitate doloris. Omnes enim Catholici fatentur poſſibilem eſſe converſionem, etiam inveterati peccatoris unico momento. Quaeſtio eſt, utrum Confeſſarius prudens, & moraliter certum judicium concipere valeat, quod Recidivus conſuetudinarius, qui frequenter fidem datam de ſuo dolore, & promiſſionem de ſua plena emendatione violavit, ſit revera contritus. Quidni reſpondet Author? *Non enim illi deeſt libertas, nec ſufficiens gratiae auxilium ad eos ſupernaturales actus eliciendos*. Quid amplius expectamus, ut cum Patribus dicamus, ludum eſſe, & jocum peccare, & poenitere? Quid eſt hoc auxilium ſuffi-

ciens,

ciens, vi cujus reipſa Recidivus conſuetudinarius convertitur? Auxilium iſtud ſufficiens omnibus, maxime ſecundum Molinianos, datur etiam inveteratis, obcaecatis peccatoribus. Vi ergo iſtius auxilii omnibus communis contritionem pro arbitrio eliciunt Recidivi conſuetudinarii? Non eſt ergo juſtificatio impii ſingulare donum, & maximum opus Dei. Debentne ergo peccatores jejuniis, eleemoſynis, amaro planctu, & precibus hanc peculiariſſimam gratiam implorare, ut Scripturae ſanctae, & Patres, & Concilia omnia docent? Nequaquam, reponere Author debet, quoniam habent libertatem, habent gratiam ſufficientem, verſatilem, ab humana voluntate determinabilem, quae ſufficiat, ut reipſa pro arbitrio omnes peccatores conſuetudinarii, inveterati, & habitibus pravis illaqueati convertantur ad Deum. Qui legis haec, ſi non moveris, quod tam adverſa divinis Scripturis ſcripta ſint ab authore Diſſertationis, ſaltem obſtupeſce, quod Merbeſii, aliorumque graviorum Theologorum doctrinam perſtringere novitatis cenſura non reformidet.

XII. Reponit Author *cit. Diſs.* pag. 33: *Perperam in ſui favorem iſti allegant s. Carolum. Vide plura apud La Fontein loc. cit.* Saepius remittit Author iſte lectores ſuos ad hunc *P. La Fontein*. Videamus hunc P. La Fontein, qui in prop. 87. damnata a Sanctiſſimo Pontifice Clemente XI. *cap.* 17. haec ſibi objicit ex s. Carolo Borromaeo. „ Conſultum eſt differre „ abſolutionem, donec *evidens appareat emendatio* in iis, „ qui tametſi dicant, & polliceantur, quod ſe eximant pecca- „ to, tamen Confeſſario probabilem metum faciunt, ne con- „ trarium contingat: „ Hactenus s. Carolus. Subdit vero P. La Fontein: „ Non de omnibus promiſcue peccatoribus agit „ s. Carolus, ut propoſitio *damnata*, ſed de iis, *qui prava* „ *conſuetudine implexi ſunt*: neque differendam iis cenſet ab- „ ſolutionem, donec incoeperint ad minus ſatisfacere juſti- „ tiae Dei; ſed qui Confeſſario probabilem metum faciunt, „ quod ſe non eximent peccato „.

XIII. P. La Fontein aperte concedit, s. Carolum docere, dif-

differendam eſſe abſolutionem iis,qui prava peccandi conſuetudine irretiti ſunt, non quia opera ſatisfactoria praecedere abſolutionem debeant, ſed quod frequentes relapſus probabilem metum ingerunt Confeſſario, quod ejuſmodi poenitentes non ſint diſpoſiti, & digni abſolutione. Ergo P. La Fontein improbat, & rejicit doctrinam *cit. Diſs.* in cujus patrocinium allegatur ab Authore noſtro. Neque ibi *P. La Fontein* diſputat de Recidivis conſuetudinariis, ſed refellit propoſitionem damnatam, quae abſolute quoslibet peccatores comprehendit, idcirco merito proſcripta eſt. Non nego tamen, P. La Fontein plura ibidem infarcire,ut alias s. Caroli Inſtitutiones implicet, & obſcuret, ut quorundam Caſuiſtarum opiniones, quae mihi falſae, & laxae videntur, promoveat.

§. II.

Expenditur, & vindicatur doctrina Genetti, & Jueninii.

I. Franciſcus Genettus Epiſcopus Vaſſionenſis *Tract. 6. cap. 7. q. 15.* inquirit: *Quomodo ſe gerere debet confeſſarius erga poenitentem, quem dimiſerat propter peccatum ex habitu, aut prava conſuetudine, quando iterum redit ad poenitentiae Tribunal? Reſp. Debet illum interrogare, utrum inciderit in eadem peccata. Si cecidit, ſcire debet, an remedia adhibuerit, quae illi praeſcripſerat, quoties idem peccatum admitteret. Quod ſi poenitens non adhibuerit illud remedium, quoties peccavit, debet ipſum dimittere abſque abſolutione, iterum repraeſentans in ſpiritu lenitatis, & charitatis injuriam, quam facit animae ſuae nolens ſerio operam dare, ut eam liberet a morte aeterna, ad quam damnatur per peccatum, cum id tam facile poſſit.*

Si vero poenitens diligenter applicuit remedium, & tamen in peccatum inciderit, quamvis minus frequenter, debet confeſſarius illi animum facere, oſtendens, quod, Dei aſpirante gratia, inci-

Digitized by Google

incipit peccatum dimittere, in quod non cecidit, niſi ſemel, aut bis in qualibet hebdomada, cum aſſueverit prius illud committere ſaepius in die: Deinde illi repraeſentare debet, eodem ſemper charitatis ſpiritu, quod cum peccatum altas egerit in ejus anima radices, nequit ipſum omnino evellere, niſi magnam ſibi vim inferat.

II. Confirmat hanc ſuam doctrinam auctoritate s. Anſelmi, s. Laurentii Juſtiniani, & s. Auguſtini inquientis: *ut violentiae poenitendi cedat conſuetudo peccandi*. Reſpondeat nunc Author *cit. Diſſert.*, & ſuam ſcribendi ſinceritatem in conſpectu univerſae Reipublicae litterariae defendat. Dicat itaque quo fundamento de Genetto ſcripſit; *Non tamen certo abſolvendus, etiamſi per aliquot hebdomadas in idem peccatum non reinciderit*: cum Genettus ſcribat: *Et tamen in peccatum inciderit*. Haec imputatio adjecta non Gobato, ſed praeclaro Epiſcopo publice retractanda eſt, ſi vel ipſa menda typographica, retractari ab aliis curatur. Cur impoſita fuit Genetto doctrina, quam Genettus convellit? Ut nota *Rigoriſmi* eidem imponatur? Abſit a me tanti criminis judicium: Excuſandus eſt *Diſſ.* Author, quod forte id legerit in aliquo Caſuiſta. Sed ad Jueninium veniamus.

III. P. Caſpar Juenin Oratorii Gallicani Presbyter in ſuo opere inſcripto: *Commentarius hiſtoricus, & Dogmaticus de Sacramentis, par. 2. Diſſ. 6. qu. 9. art. 7.* hanc concluſionem conſtituit: *Qui mortaliter peccarunt ex conſuetudine, non debent abſolvi, niſi multo, ad viri prudentis judicium, tempore, converſionem operibus probaverint.*

Probatur primo. Sacramenti Miniſter extra caſum neceſſitatis, ſeu ubi non urget vitae periculum, uti non poteſt materia dubia, neque conferre Sacramentum ſubjecto, de quo merito dubitat, an ſit diſpoſitus ad illud valide, aut ſaltem licite recipiendum. Ea propoſitio nititur praecepto virtutis Religionis, quae prohibet, ne res ſanctiſſima, cujuſmodi eſt Sacramentum, aut nullitati, aut prophanationi exponatur. Atqui confeſſario adeſt dubitandi fundamentum, an ſit materia debita, cum quis peccandi

di conſuetudine implicatus accedit ad Confeſſionem abſque operibus, quae illius converſionem probent. Siquidem neceſſaria Sacramenti poenitentiae materia eſt contritio. Atqui dubium eſt, an tunc adſit illa contritio, ut ſubſequentibus momentis patebit,

2. *Contritio ordinarie, ac paſſim non ſolet unico momento, ſeu intra paucos dies efformari in corde hominis, quem ligat inveterata peccandi conſuetudo. Id enim Scriptura docemur, ubi dicitur, quod arcta ſit via, quae ducit ad vitam, & quod pauci ſint, qui eam inveniant. Qua enim, quaeſo, ratione arcta, & difficilis eſſet via, quae tam cito, & tam facile cuique lapſo pateret, ſi nulla inter peccati, & virtutis amorem, aut brevis ſaltem interpoſita eſſet mora?*

II. Hanc doctrinam confirmat pluribus Scripturae ſanctae teſtimoniis, & omnium Patrum traditione. Ex veteri Teſtamento allegat teſtimonium Davidis *pſalm.* 1., ubi hominem vere converſum deſcribit his verbis: *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, & omnia, quaecumque faciet, proſperabuntur*. Ex novo Teſtamento adfert Matthaei caput 7, quo comparatur homo vere juſtificatus domui ſupra petram fundatae: *Omnis, qui audit verba mea haec, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui aedificavit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram*. Contra Recidivi conſuetudinarii frequenter relabentes deſcribuntur his verbis: *Et omnis qui audit verba mea haec, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui aedificavit domum ſuper arenam, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna*. Poſſunt ne vividius exprimi converſiones poenitentium, quae fundatae ſupra Petram ſunt, ideſt Chriſtum; & quae ſuper arenam, ideſt humanas opiniones?

III. Allegat deinde prolixa teſtimonia ss. Cypriani, Augu-

Digitized by Google

guſtini, Juſtini Martyris, Tertulliani, Ambroſii, Fulgentii, Gregorii Magni, Iſidori, Gregorii VII., Concilii Toletani III., Concilii Tridentini, Yvonis Carnotenſis, & tandem Caroli Borromaei, qui in inſtructionibus ſuis univerſalis Eccleſiae judicio comprobatis, inquit: *Confeſſarios monitos volumus, ut donec emendationem perſpexerint, abſolutionem iis poenitentibus procraſtinent, quos veriſimile eſt ad peccata iterum lapſuros, quantumvis polliceantur, ac ſpondeant, ea ſe dimiſſuros.*

IV. Diluit poſtea omnia objecta Probabiliſtarum, imprimiſque illud, quod petitur ex male intellectis Chriſti verbis Matt. 18: *Non dico uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*; quoniam, inquit, Chriſtus non imbuit Petrum, qua ratione ſeſe gerere in adminiſtrando Sacramento poenitentiae debeat: ſed qua animi promptitudine offenſus remittere injurias ſibi illatas teneatur etiam iis, quos minime poenituerit; ut exponit P. Maldonatus Jeſuita in Matt. 18. verſ. 2. *Qua ſententia non docentur Sacerdotes abſolutionem ſaepe peccantibus temere dare, ſed docentur offenſi ſemper ad ignoſcendum parati eſſe.* Et haec eſt communis ss. Patrum interpretatio.

V. Quod 2. opponunt: *Poenitenti in conſcientiae Tribunali tam pro ſe, quam contra ſe quidpiam affirmanti fides adhiberi debet*, confutat ſapienter, propterea quod hoc axioma judices propriae diſpoſitionis conſtituat poenitentes, & contineatur in hac damnata ab Innoc. XI. theſi: *Poenitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Eccleſiae, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.* Cujus damnationis evitandae cauſa etſi illud excogitarint nonnulli probabiliſtae, *quoties Recidivus conſuetudinarius non ore tantum, ſed ex animo affirmet, ſe dolere*: cum tamen a me ſuperius labefactatum ſit iſtud commentum, addam hic ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis Epiſtolam datam Provincialibus Cappucinorum, quam refert ibidem Jueninus, quaeque declarat, *facta* non *verba* a ſummo Pontifice requiri, nullam-

lamque differentiam doctrinae Confeſſariorum, & Concionatorum admitti. *Confeſſarii quoque Concionatoribus concordantes ad verum peccatorum ſuorum dolorem*, FIRMUMQUE *emendationis propoſitum poenitentes ſuos inducant, eos etiam beneficio abſolutionis privando, quos* EX FACTIS *viderint, non eſſe ſufficienter diſpoſitos, & praeparatos ad illud recipiendum*. Idque antea cum omnibus Patribus ejus Praedeceſſor ſanctiſſimus Gregorius Magnus *lib. 6. cap.15. in lib.1. Regum* docuit:. *Signum verae converſionis non eſt in oris confeſſione, ſed in afflictione poenitentiae . . . Facite ergo fructus dignos poenitentiae, In fructu ergo, non in foliis, aut ramis poenitentia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt . . . . . Saepe ſibi de ſe mens ipſa mentitur*.

VI. Quod opponunt 3: ſcilicet *fieri poſſe, ut Recidivi conſuetudinarii, licet frequenter poſt plures Confeſſiones relapſi, ſint nunc reipſa contriti: ideoque toties abſolvi debent, quoties lacrymas fundunt, ſuſpiria emittunt, pectora tundunt*: Juenius efficaciter retundit cum aliorum, tum Yvonis Carnotenſis auctoritate, & ratione, qui Epiſ. 228. ad Gonherium Presbyterum haec docet: *Cum enim criminalis culpa Delinquentem ſeparet a capite, & corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tanto remittat celerius, quanto ſolus magis videt interius. Judex vero, qui tantum videt in facie, uſque adeo delinquentes ſub peccati poena detineat, donec PER MANIFESTUM POENITENTIAE FRUCTUM, quis ſit poenitentis affectus, intelligat. Per internum enim gemitum ſatisfacit interno Judici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remiſſio. Eccleſia vero, quia occulta cordis ignorat, non ſolvit ligatum, licet reſuſcitatum, niſi de monumento elatum*. Et haec quoque eſt communis Patrum doctrina. Addo poenitentes ſincere contritos libentiſſime ſuſcipere opera *laborioſa, quibus ſuae argumentum habeant contritionis*.

VII. Quod opponunt 4: nempe *Recidivos conſuetudinarios dimiſſos abſque abſolutione aeternae damnationis periculo exponi*. (Fieri enim poteſt, ut praefati Recidivi habeant diſpoſitio-

 nem

nem ſufficientem ad gratiam in Sacramento poenitentiae recipiendam, quae tamen ſatis non ſit ad juſtificationem perſolum Sacramenti votum conſequendam,ideoque ſi Recidivi cum hac ſola diſpoſitione moriuntur, ut contingere poteſt, ab aeterna ſalute excluſi ſunt) Jueninus refellit dicens : Quod ſi Deus reipſa iſtis donum verae diſpoſitionis ad Sacramentum digne ſuſcipiendum conceſſit, in extremis anguſtiis juſtificationem operabitur, ut pluribus Patrum teſtimoniis, & ipſa ratione oſtendit; quia *qui incoepit, ipſe perficiet.* Quamvis nemo neget, abſolutionem dandam eſſe cum grave periculum imminet. Miror tamen, Caſuiſtas adeo timere de Recidivorum periculo, cum iſti non timeant de ſuo. Audent enim iſti per plures annos in vitiorum circulo, & coeno volutari, quin aeternae damnationis timore afficiantur; & quando prudens, & doctus Confeſſarius veram animarum ſuarum curam praeſcribit, tum Caſuiſtae illos mori, & damnari verentur. Cur ergo nec Eccleſia Saeculorum XII ſpatio, nec Sancti poſterioris aetatis ullam iſtius periculi rationem habuere ?

VIII. Quod opponunt 5: ſcilicet, *Poenitentes aegre ferre hanc abſolutionis dilationem*, & ſi ab uno Confeſſario docto, & pio dimittantur abſque abſolutione, adeunt alios Confeſſarios benigniſtas, qui continuo eoſdem abſolvunt. Praeterea *dilationem abſolutionis ſaepe famam laedere poenitentium*: Jueninus facile ſolvit ex eo, quod triſtitia, & fama tanti haberi non debeat,quanti dignitas Sacramenti, quae exigit, ut nonniſi rite diſpoſitis conferatur.

IX. Deinde vero, qui ſunt iſti de abſolutionis dilatione conquerentes ? Recidivi conſuetudinarii, flagitioſi, delictorum ſordibus pleniſſimi, poſt multos annos, pluresque Confeſſiones continenter in perpetua vitiorum ſentina immerſi jacentes : qui ſi vero aeternae ſalutis deſiderio arderent, Deo gratias agerent, nactos eſſe Confeſſarium, qui revera curare illorum infirmitatem, & ad veram juſtificationem praeparare illos ſtudeat. Iſtorum quaerelas quis reformidet, niſi qui ambiunt poenitentium Matronarum, & Equitum multitudine obſide-

ſideri, qui nullum non movent lapidem, ut nobiles poenitentes ad ſuum *Confeſſionarium* alliciant?

X. Quod obtrudunt, famam poenitentium periclitari ob dilationem abſolutionis, ſpectrum eſt a diabolo excogitatum. Heinc enim conſequitur, abſolvendos eſſe omnes, qui nullum perhibent doloris ſignum, ne illorum fama laedatur. Sibi imputare poenitentes debent famae laeſionem, ſi imparati ad Sacramentum accedant. Quid quod & famam laedunt, & graviſſimum ſcandalum ingerunt, dum vitam flagitioſam cum Sacramentorum frequentia conjungunt. Nobilis vir mihi narravit: Mea Matronula, cui ſervio, pluries in annum confitetur. Certus ſum, eam eſſe incapacem, quia quod mecum agat, ipſe ſcio. Nihil innumerae foeminae perhorreſcunt, ſe meretriculas, & putidula ſcorta publice haberi: niſi vero accedant ad menſam Euchariſticam verentur, ne dicatur, non fuiſſe abſolutas, cum ipſi viri pii, & probi poſt acceptam abſolutionem ſaepe ob plures cauſas ab Euchariſtia ſuſcipienda abſtineant.

XI. Haec eſt Juenini doctrina, quam probo, non quia Juenini eſt, (neque enim mihi cura ulla eſt aut de illius perſona, aut de ejus peculiari aliqua opinione) ſed quia Scripturae, Patribus, Conciliiſque conformem agnoſco, neque a probabiliſtarum cavillationibus labefactatam fuiſſe, aut labefactari poſſe contendo.

CAPUT DECIMUMQUARTUM

Duo Monita, quibus praefatus Author Diſſertationi finem imponit, tamquam Laxiorem vivendi rationem foventia, rejiciuntur.

DUo nunc ſuperſunt, inquit Author Diſſertationis pagina 34, *quibus unumquemque ad calcem monitum velim. Alterum eſt, ne quiſquam facile ſe abripi ſinat FUCO QUODAM PURIORIS ETHICES, ac veteris, ut in ore nonnulli habent, inſtaurandae Diſciplinae, & PROBITATIS.* Quibus ſane verbis oſtendit, ſe munire omnes velle adverſus Rigo-

Rigoriſmum, & ſeveriorem doctrinam. Sed quid opus eſt iſta, quam praeſert, commonitione?

II. Nunquam laxior inter Chriſtianos vivendi corruptela opinionibus Caſuiſticis honeſtata: nunquam tam audacter malum bonum, & bonum malum propugnatum fuit; nunquam pompae vanae, luxus, faſtus, nunquam mollior vivendi ratio, nunquam otium, nunquam peſtiferae amaſiarum, & amaſiorum converſationes, amores reciproci, mutui ludi latius manarunt; nunquam laxitatis moris humani torrens uſquequàque, fractis aggeribus, ſaevius inundavit: & *abripi* homines timet *fuco purioris Ethices*? Hujuſce veritatis, quae facti eſt, univerſum Chriſtianum Orbem in teſtem appello. Teſtantur Senes, inclamant vel quinquagenarii viri, ſub propriis oculis Chriſtianorum diſſolutionem excreviſſe, & in dies impotentius graſſari. Et inter tantas laxiſmi, & pravitatis flammas undiqueverſum animarum, & Evangelicae legis incendia parturientes, monitum datur: *ne quiſquam facile ſe abripi ſinat fuco quodam veteris inſtaurandae diſciplinae, & probitatis*? Non eſt ergo curandum, ut laxata diſciplina inſtauretur? Non eſt ſatagendum, ut diſſoluti mores ad probitatis evangelicae ſanctitatem reformentur? Fuci ne iſti, & praeſtigiae? In praefatis Authoris verbis contineri mihi videtur, quod per Epitropen dixit ſanctus Auguſtinus *lib. de Paſtor. cap. 3. Vivite, ut vultis. Securi eſtote. Deus neminem perdit: tantummodo vitam Chriſtianam tenete. Non perdet ille, quos redemit. Et ſi ſpectaculis volueritis oblectare animos veſtros, ite: quid mali eſt? Convivamini, impleamini cibo, & vino cum VESTRIS. Ad hoc enim data eſt illa creatura, ut ea perfruamini. Non impiis, & Paganis eam dedit Deus, ſed vobis eam dedit. Haec ſi dixerimus, forte congregabimus TURBAS AMPLIORES. Et ſi ſunt quidam, qui nos ſentiunt haec dicentes non recte ſapere, paucos offendimus;* SED MULTITUDINEM CONCILIAMUS.

III. Perſequitur ſuum Monitum Author ibidem his verbis: *Audit quis ex. g. non eſſe abſolvendos prava conſuetudine labo-*

Digitized by Google

laborantes. Videat, ne brevi gradus inde fiat ad ſentiendum, pravum habitum (ut de fomite concupiſcentiae docuerunt haeretici) non ſolum eſſe peccati effectum, ſed peccatum, quo actualiter manente, abſque dubio poenitens juſtificari non poteſt. Abſolvendi ergo ſunt prava conſuetudine laborantes? ad menſam Euchariſticam admittendi iniquis habitibus devincti, obſtinati, & obcaecati; *ne inde gradus fiat ad ſentiendum, pravum habitum non ſolum eſſe peccati effectum, ſed peccatum*? Nunquam ergo neganda abſolutio, nunquam implendum evangelicum praeſcriptum *ligandi, & abſolvendi; ne inde gradus fiat* ad errores Montaniſtarum, & Novatianorum? Non ſunt imponenda jejunia, cilicia, diſciplinae, *ne inde gradus fiat* ad errores circumcillionum, & flagellantium? Si haec argutandi ratio, ſeu illudendi cavillatio conſiſteret, actum eſſet de Religione Chriſtiana: deſerendae vel luculentiſſimae veritates eſſent, ne *inde gradus* fieret ad oppoſitos errores.

IV. Proſequitur Author prudens, cautum, & opportunum monitum his verbis: *Audit, Relapſos non facile abſolvendos, ſed rejiciendos a Confeſſario. Caveat, ne res eo tandem a nonnullis feratur, ut perſuadere velint, Sacramentum poenitentiae eſſe veluti Sacramentum Baptiſmi, quod iterari non poteſt.* At quis non intelligat, non *monitum* ſed nugas, non cautionem, ſed chimaeras, & Phantaſmata Authorem iſtum venditare? Monitum enim viri ſapientes dare ſolent, monitis imbuunt & muniunt Chriſtianum populum contra eos errores, qui aut graſſantur, & praevalent, aut ſaltem probabiliter inſtant, imminentque. Graſſantur ne errores de non iterando Sacramento poenitentiae, de nimia ſeveritate negandae abſolutionis? Ubinam vel remotiſſima umbra, aut leviſſima ſuſpicio, quod Sacramentum poenitentiae iterari nequeat? Quis Catholicorum vel indicium tanti erroris perhibuit? Quis vel Haereticorum noſtri temporis talem propugnat errorem? Nugas ergo, & chimaeras ſponte confictas divendit Author noſter. Et monentur Chriſtiani, ut ſpectra, & phantaſmata arbitraria declinent, eo ipſo tempore, quo in errorum abyſſo jacent. Nonne

ne Sacramenta Chriſti adminiſtrantur Moechis, mollibus, fornicariis, ambitioſis, foeneratoribus? & interim clamatur contra ſeveritatem differendae abſolutionis. Fuit ne nunquam major Sacramentorum frequentia, & mores corruptiores? & interim clamatur, ut error de non iterando Sacramento Poenitentiae evitetur. Periculum ne hodie eſt, Chriſtianos nimio *purioris ethices*, *& inſtaurandae veteris diſciplinae*, *& probitatis* fervore ardere? & tamen admonentur, ne ſe decipi his praeſtigiis ſinant, & ab hoc probitatis extremo cavere ſibi velint.

V. Pergit Author monere: *Audit rurſus poenitens, ante abſolutionem diu flere, amariſſime conteri, poenitentiae, ac perfectae charitatis actibus exerceri debere. Videat, ne id eo ſpectet, ut clam is error doceatur, ab Sacerdote non remitti peccata, ſed ejus abſolutionem eſſe nudum Miniſterium, quo declarentur remiſſa peccata, atque idcirco Sacramentum poenitentiae ſacram quamdam caeremoniam eſſe ſignificantem gratiam eſſe reſtitutam, nec propterea eſſe illud ad peccatorum juſtificationem neceſſarium. Videat haec DILIGENTER quisquis ea audit aſſerta*. Peregregie. Vere hoc eſt alterum aetatis noſtrae extremum declinandum. Cavendum ſcilicet, & cavendum diligenter, ne aetate noſtra Matronae, & Matronulae, ne amaſii, & amatorculi diuturnas nimium lacrymas, & amariſſimos gemitus effundant. Cavendum, ne venuſtulos vultus, & ſaginata corpuſcula nimia jejuniorum, ciliciorum, & humicubationum ſeveritate plus aequo extenuent, deforment, crucientque. Cavendum, ne Divinae caritatis incendio nimium exaeſtuent, ne perfectae contritionis acerbiſſimo dolore diu, noctuque conficiantur. Haec enim ſunt temporis noſtri extrema. Videmus Cives, & Nobiles, Equites, & Magnates, Puellas, & Matronas, mulieres, & viros circumcurſare per templa, & hoſpitalia, per vicos, & plateas ſaccis indutos, ciliciis ad carnem affixis preſſos, cinere aſperſos, & veluti crudeles propriae concupiſcentiae, & ſenſuum carnifices truculentiſſime in ſemetipſos ſaevire. Videmus, tam perfe-

ctiſſimae caritatis ardore illos inflammatos erga Deum, & proximum, ut, omnibus terrenis rebus proculcatis, bona propria pauperibus, infirmis, & languentibus diſtribuant, & tanto conatu ad caeleſtia anhelare, ut nihil mundi, & eorum, quae in mundo ſunt, redoleant. Temperandus ergo perfectae caritatis ardor; delinienda eſt nimiae contritionis acerbitas: comprimendae diuturnae,& amariſſimae lacrymae, ne immatura morte ſe ſe contrucident. Ultra non pergimus, ne ſatyram ſcribere videamur. At oro omnes ſapientes, obteſtorque, ut judices ipſi in hac cauſa ſedeant, & ſententiam libere pronuntient, num revera ad omnium malorum cumulum acceſſerit (ut verbis utar S. Cypriani) ſub miſericordiae titulo malum fallens, & blanda pernicies.

VI. Claudit tandem primum monitum Author his verbis: *Videat, inquam, haec diligenter quisquis ea audit aſſerta, & ut Vincentii Lirinenſis verbis utar, pertimeſcat, ne ſub Divinae legis umbraculis errores occulti latitent, qui deinde ſerpant.* Diligentiam, & vigilantiam ſuis lectoribus inculcat Author noſter, ut ſpectra, & conficta phantaſmata devitent, ac ſi inter Catholicos vel unus reperiretur, qui tales errores diſſeminaret. Et interim nec verbum profert, quo ſuadeat, ut pericula, corruptelam, & morum peſtem dire uſquequaque graſſantem, & animas devorantem Chriſtiani vigiles declinent. O temporum calamitatem! O lugendum aetatis noſtrae infortunium!

VII. SECUNDUM monitum proponit hoc modo: *Alterum eſt, ne quis facile eos Sanctorum Patrum textus ad rem, de qua agimus, opportune allegatos exiſtimet, niſi prius ex regulis Theologicis apud Canum lib. 7. genuinam eorum Patrum mentem is fuerit aſſecutus.* Canum citat, qui Cani doctrinam non modo ſecutus non eſt, ſed ne legiſſe quidem videtur. Haec enim habet ille lib.7. cap.3: *Eſt praeterea idem definitum apertius in Synodo Trident. Seſſ. 4. in haec verba. Decrevit Sancta Synodus ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo ſuae prudentiae innixus in rebus Fidei, & morum ad aedificationem*

Doctrinae Chriſtianae pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorqueat: Aut etiam contra eum senſum, quem tenuit, & tenet s. Mater Eccleſia, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam interpretari audeat. Quid ergo Canum aſſumit, cum Canum tam aperte ſibi oppoſitum habeat, qui docet, Sac. Scripturam nemini interpretari licere contra ss. Patrum unanimem conſenſum?

VIII. Negas, ss. Patres unanimi conſenſu adfirmare, inveterata animae vulnera eo modo, communiter loquendo, curanda eſse, quo graviores corporis morbi ſanatur: ideoque non illico, ſed gradatim, & pedetentim, plus, minuſve juxta infirmitatum diverſitatem fieri? At id oſtenſum ſatis in ſuperioribus ſentio. Quoniam vero ad idem nunc provocas, unum & alterum addam. Origenes hom. 8. in cap. 13., & 14. Num. haec habet: *Si vulnus Corpori infligatur, aut os confringatur, aut nervorum junctura reſolvatur, ſub unius horae ſpatio hujusmodi vulnera ſolent corporibus accidere, & plurimis poſtmodum cruciatibus, ac doloribus exactis, multo vix tempore ſanari... Jam vero ſi accidat, ut in eodem vulnere, vel in eadem fractura iterum ſaepius quis vulneretur, frequentiuſque frangatur, quantis hoc poenis, & quantis poteſt cruciatibus medicari? Quanto autem tempore, ſi tamen potuerit, ad ſanitatem perducitur?... Tranſi nunc ab exemplo corporis ad animae vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur. Et ideo conſequentiſſima ratio eſt, poenae, ideſt curae, & medicationis tempus extendi: Et per unumquodque vulnus, pro qualitate plagae, medendi quoque ſpatia propagari.*

IX. Cyprianus de Lapſis inquit. *Oportet Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum, dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, putaminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur aeger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cum ſen-*

ſenſerit ſanitatem .... Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit .... Putas ne Dominum cito placari?

X. S. Cyrillus Alexandrinus *homil.* 5. *in Hier.* haec ſcribit. *Tempore opus ſicut in vulneribus ad curationem, ſic in converſione ad plene, & pure convertendum ſe in Deum.*

XI. S. Gregorius Magnus in pſal. 6 ſcribit: *Omnis curatio, quanto difficilius acquiritur, tanto acquiſita cautius cuſtoditur.* Teſtimonia Ambroſii, Auguſtini, Thomae, Bellarmini, & aliorum dedi ſupra. Ergo unanimi conſenſu ss. Patres probant eam, quam nos tradidimus, juſtificationis formam: damnant vero novam illam a quibuſdam Caſuiſtis invectam, quae tota ſita eſt in mera verborum mutua communicatione. Patefaciunt enim poenitentes oretenus ſua crimina; hortantur Confeſſarii ad emendationem; injunguntur pro poenitentia aliquae precatiunculae, aut alicujus libelli lectiones: Omnia denique verbis tranſiguntur, & aliquo reciproco ſuſpirio perficiuntur omnia. Jejunia vero, cilicia, humicubationes, gemitus, planctus, humiliationes, depoſitiones pomparum, & vanitatum communiter nec nominantur quidem. Quapropter mihi liceat iſtud caput claudere verbis s. Bernardi ſerm. ad Paſtores in Synodo congregatos, ſi tamen Bernardi eſt ſermo ille: *Merito clamat Eccleſia ſancta hodie: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Multa eſt hodie, & longe gravior, quam credi poſſit, perſecutio s. Eccleſiae, & talis incumbit, qualis a principio non fuit. Multis modis perſecutus eſt eam diabolus, ſed nunquam gravius quam hodie, quia non fuit major perditio Chriſtianorum, nec liberior, aut ſecurior tranſgreſſio praeceptorum Divinorum. Eccleſiam incipientem perſecutus eſt per tyrannos; proficientem perſecutus eſt per haereticos: jam laetam, & florentem per motus illicitos.*

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMQUINTUM

Prorſus oppoſita his, quae exhibet Author Diſsertationis, traduntur monita a ſacris Scripturis, Patribus, & ſapientioribus Theologis.

QUoniam Author *cit. Diſs.* poſtremos ſuos conatus eo dirigit, ut Lectores praeſervet a doctrina rigidiori, eosque muniat adverſus Rigoriſmum, & Rigoriſtas cum ſuo P. Francolino commonente: *Cave a Rigoriſmo, cave a Rigoriſtis*: operae pretium eſt, ut prope finem Diſſertationis meae monitum faciam Chriſtianum populum, tantoque altius vocem extollam: *Cave a Laxiſmo, Cave a Laxiſtis*; quanto mihi majores vires facit tum Scripturarum, tum ss. Patrum, & ſapientum Theologorum auctoritas, quae a Benigniſtis, & Laxiſtis corruptam, aut corrumpendam ſanam Ethicen teſtatur.

II. Ex antiquo teſtamento Propheta Iſaias *cap.* 3. inquit: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſsuum tuorum diſſipant*. Similia habet Propheta Hieremias cap. 23. *Vae Paſtoribus, qui diſperdunt, & lacerant gregem paſcuae meae .... Ecce ego viſitabo vos ſuper malitiam STUDIORUM VESTRORUM ..... Nolite audire verba Prophetarum, quae prophetant vobis, & decipiunt vos*. Latius etiam, & luculentius perniciem benignitatis, & laxitatis Theologorum deſcribit Ezechiel cap. 13. Pauca tantum delibabo. *Erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium .... dicentes pax, & non eſt pax. Et ipſe aedificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis*. Populus enim murum erigebat iniquitatis, & Prophetae, ſeu Theologi, & directores ejus benigniſtae murum hunc humanarum opinionum luto depingebant, & liniebant, animantes populum contra veros Prophetas, quos Rigoriſtas appellabant. Sed Deus urget Ezechielem, ut clamet: *Vident ei viſio-*

viſionem pacis , & non eſt pax . . . . Propterea haec dicit Dominus Deus . . . . deſtruam parietem, quem liniſtis, abſque temperamento . . . . Vae qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus , & faciunt cervicalia ſub capite univerſae aetatis ad capiendas animas . . : . Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas ; quae non moriuntur , & vivificarent animas , quae non vivunt , mentientes populo meo credenti mendaciis . Propter hoc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad pulvillos veſtros , quibus vos capitis animas volantes, dirumpam eos de brachiis veſtris . Pulvillos eſſe blandas opiniones, quibus vivificabant animas, quae non vivebant, quia mortuae peccatis erant , nemo non intelligit . Cetera omitto Teſtamenti veteris loca, in quibus Deus adverſus blandos , benignoſque Prophetas invehitur , minaſque , & poenas fundit .

III. Pauca nunc ex novo Teſtamento promam . Teſtatur Petrus Apoſtolus *Epiſt. 2. cap. 1.* quod ſicut in veteri lege fuerunt falſi Magiſtri , blandiloqui , & laxioris ethices fautores , ſic erunt in Chriſtiana Eccleſia Magiſtri mendaces : *Fuerunt vero Pſeudoprophetae in Populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces , qui introducent ſectas perditionis . . . . & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur: & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur .* S. Paulus epiſt. 1. ad Timotheum cap. 1. Fideles admonet , plures eſſe falſos Doctores : *Aberrantes converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis Doctores non intelligentes neque quae loquuntur , neque de quibus adfirmant .* Quae verba ad nonnullos Caſuiſtas , qui volunt eſſe legis Doctores , quamquam non aliam legem agnoſcant , praeter illam , quam reperiunt in anterioribus Caſuiſtis , ut ex eorum ſcriptis apparet , an poſſint merito referri , aliorum eſto judicium .

IV. Idem s. Paulus apertiſſime eo loco praedicit , ſanam Evangelii doctrinam corrumpendam fore non a Rigoriſtis , ſed a Benigniſtis , & Laxiſtis , his verbis : *Praedica verbum, inſta opportune , importune , argue , obſecra, increpa in omni patientia ,*

tia, & doctrina. Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros PRURIENTES AURIBUS, & a veritate quidem auditum avertent, ad FABULAS autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtae. Non ait Apoſtolus, futuros fore Magiſtros, qui doctrinae ſeveritate, & poenitentiae auſteritate perterrefacere Chriſtianos debeant; ſed luculenter teſtatur, venturos eſſe Magiſtros, qui auribus pruriant, directores blandiloquos, qui opiniones excogitabunt hominum deſideriis conformes: qui, veritate neglecta, hominum doctrinas, ſeu fabulas venditabunt.

V. Audiamus D. Anſelmum s. Pauli locum ſic exponentem: *Acervum ſibi congregabunt Magiſtrorum, qui doceant eos ea, quae deſiderant... Cupiunt audire verba, quae errores doceant, & ad delectationes alliciant, & fugiunt audire ſermonem veritatis.* Et s.Thomas Aquinas ſic explicat citatum textum: *Loquimini nobis placentia, hoc eſt ſecundum ſua deſideria, quia unus vult audire unum, & alius vult audire alium: & ſic quaerunt diverſos Magiſtros, ſeu Confeſſarios.* Negabitne vero de genere hujuſmodi Magiſtrorum, & Confeſſariorum eſſe qui asſerat: *A ſtabilire la ſentenza de' Probabiliſti NULLA MONTA il poter direttamente affermarſi l' opinione meno probabile eſſer vera: baſta che poſſa affermarſi ella eſſere veramente probabile?*

VI. Ediſſerant nunc nobis benignioris doctrinae propugnatores, quem in Scripturis ſanctis locum inveniant, unde futuri indicantur Magiſtri, qui nimio rigore Evangelicam doctrinam ſint adulteraturi. Fateor, quod ſupercilium Phariſaicum Chriſtus increpuit inquiens Matt. 23: *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* At quaenam onera gravia imponebant? Forſitan quod promoverent dilectionem Dei, & proximi? Forſitan quod neceſſitatem caritatis, & divini amoris frequens exercitium inculcarent? Forſitan quod pompas, luxum, faſtum, & mundi oblectamenta deteſtanda pro-

proponerent? Forſitan quod peccata, & ſcelera frequenter patrata diuturna poenitentia, ſeveris jejuniis, amaris lacrymis, amplis eleemoſynis, fervidis precibus expianda docerent? Forſitan quod ſuperbiam deprimere, humilitatem, & obedientiam fovere niterentur? Minime gentium. Quaenam ergo onera gravia imponebant? Onera propriarum traditionum, lege Dei neglecta, ut Chriſtus ipſe ibidem declarat. *Vae vobis duces caeci, qui dicitis: quicumque juraverit per templum, nihil eſt: qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti, & caeci! Quid enim majus eſt, aurum, an templum quod ſanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari nihil eſt: quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet. caeci! Quid enim majus eſt, donum, aut altare, quod ſanctificat donum?*

VII. Hoc magis explicat Chriſtus Jeſus *Matt. c.* 15, ubi ſic increpat Phariſaeos: *Tunc acceſſerunt ab Jeroſolimis ad eum Scribae, & Phariſaei dicentes: Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? Non enim lavant manus ſuas cum panem manducant. Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter TRADITIONEM VESTRAM? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, quicumque dixerit patri, vel matri: munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis MANDATUM DEI PROPTER TRADITIONEM VESTRAM. Hypocritae: bene prophetavit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat: Cor autem eorum longe eſt a me, ſine cauſa colunt me, DOCENTES DOCTRINAS HOMINUM.*

VIII. En Rigoriſmum Phariſaeorum, en ſtudium Scribarum. Negligebant prima divinae Legis mandata, doctrinas vero hominum, videlicet opiniunculas, quas ipſi excogitaverant, tanto conatu propugnabant, ut illos, qui eas refutare auderent, toto impetu perſequerentur. Cur autem id agerent,

co-

cognitu facile eſt. Ipſi enim occupabant primos recubitus in coenis, primas Cathedras in Sinagogis, amabantque ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, ut Matthaeus *c.* 23. narrat. Tanta in mundo refulgebant poteſtate, & fama, ut teſtatur Joannes *c.* 12., quod ipſi Principes Chriſtum *propter Phariſaeos* non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. Siquidem rejiciebant reipſa e Synagoga, & ad exilia, ad carceres damnabant omnes, qui oppugnare auſi fuiſſent illorum traditiones. Huc ſua ſtudia dirigebant, ut propria doctrina praevaleret, ut ſuas opiniones amplecterentur, & ſuſpicerent populi, ſuaſque traditiones opere implerent. Merito igitur onera gravia, & importabilia humeris hominum imponebant Phariſaei; & eo tandem devenere, ut ipſum Chriſtum Cruci affigerent, propterea quod exactam divinae Legis obſervationem promoveret, & illorum traditiones novas, & doctrinas humanas, & opiniones Dei mandata relaxantes refellere, & profligare aggreſſus eſt. Exploratum itaque, compertumque eſt, Rigoriſmum Phariſaicum nequaquam objici eis poſſe, qui pro divinae Legis obſervantia, qui pro charitatis, humilitatis, aliarumque caeleſtium virtutum cultu tamquam pro aris, fociſque decertant. Magis autem videtur, in eos tantum hujuſmodi Phariſaici Rigoriſmi notam cadere, qui *Seniorum* ſuorum doctrinis toti intenti, divinarum Legum transgreſſores inveniantur, proindeque iis dictum a s. Bernardo videatur *ſer.* 33. *in Cant*: *Vae generationi huic a fermento Phariſaeorum... Serpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiae, & quo latius, eo deſperatius, eoque periculoſius, quo interius.... Inteſtina, & inſanabilis eſt plaga Eccleſiae: & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima. Sed in qua pace? Et pax eſt, & non eſt. Pax a paganis, pax ab haereticis, ſed non profecto a Filiis.*

IX. Venio ad Patres, quorum unanimis conſenſio eſt adverſus blandiloquentiam Theologorum, & humanam, perniciosamque benignitatem Confeſſariorum. Ut brevitati conſulam, paucos adducam.

X. S. Cy-

X. S. Cyprianus lib. de Lapſis declamat: *Qui vos felices dicunt, in errores vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant. Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat. Nec comprimit delicta illa, ſed nutrit.... Emerſit enim, fratres dilectiſſimi, novum genus cladis.... Acceſſit ſub miſericordiae titulo malum fallens, & blanda pernicies contra EVANGELII VIGOREM; contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur communio &c.*

XI. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 4. in 2. ad Cor. *Nemo,* ait, *eum, qui apud Corinthios ſtupri ſe crimine obſtrinxerat, tam amabat, quam Paulus, qui eum ſatanae tradi jubet.... Eamdem igitur erga eos, qui peccant, rationem tene.... Proinde non eſt, quod hanc rem crudelitatis, & ſaevitiae eſſe arbitreris, ſed ſummae benignitatis, & clementiae, praeſtantiſſimaeque medendi rationis.* Clementiam, & benignitatem appellat Chryſoſtomus imitari s. Paulum, qui congrua poenitentia purgavit peccatorem, antequam ad Communionem reciperet. Et ut ad hos Confeſſarios accedant Fideles, *hom. 25. oper. Imper. in Matth.* (Si tamen Chryſoſtomi eſt opus illud) monet his verbis: *Si veſtem empturus unum giras negotiatorem, & alterum; & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas: an non oportet, populum circumire omnes Doctores, & inquirere, ubi SINCERE VERITAS Chriſti venundatur, & ubi corrupta; & VERIOREM eligere, pluſquam veſtimentum?* Intellexiſtin? *Veriorem*, non minus veram, non minus probabilem doctrinam quaerere, & ſaniores adire Doctores, Chryſoſtomus compellit.

XII. S. Leo Papa Ep. 74. *Abjicienda* (inquit) *prorſus peſtifera haec a Paſtorali vigore poenitentia, quae ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.* Et ſummus Pontifex Hormiſda Epiſt. ad unius Provinc. *Quae eſt* (inquit) *iſta INIMICA BENIGNITAS? Palpare crimina, & vulnera eorum?.... Illi ipſi, quibuſcum PERICULOSA, ET FALSA MISERICORDIA indulgere videmur, cum ante Tribunal Chriſti pro*

tantis peccatis damnandi advenerint, contra nos ipſos cauſas dicturi ſunt dicentes, quod dum aſperitatem linguae eorum expavemus, aut falſa blandimenta, & periculoſas adulationes ipſorum libenter accipimus, nos eos inutiliter indulgemus in peccatis permanere, aut etiam ipſa peccata augere permiſerimus. O Pietas! O Miſericordia! Uni parcere, & omnes per exemplum malum in diſcrimen adducere. Non ita ſuadet s. & beatiſſimus Martyr Cyprianus dicens: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat.

XIII. S.Iſidorus *lib.2. Sent. cap.*13. idem docet: *Sunt* (inquiens) *qui poenitentibus ſecuritatem cito pollicentur, quibus bene per Prophetam dicitur: Curabant contritionem filiae populi mei, cum ignominia dicentes: pax, & non erat pax. Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti, & non legitime poenitenti promittit ſecuritatem.* S. quoque Auguſtinus in pſal. 136. inter plura haec habet: *Dilectores Mundi aliquando interrogant nos .... Quid reſpondebimus? Babylonia te portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur.... Vere, fratres, ſic eſt. Incipite velle praedicare veritatem quantulamcumque noſtis, & videte, quam neceſſe ſit, ut tales patiamur irriſores, & exactores veritatis plenos falſitatis.*

XIV. Accedunt Concilium Romanum VII: *Admonemus omnes, qui aeternae damnationis poenas evadere, & verae beatitudinis gloriam cupiunt intrare, ut a falſis ſibi caveant poenitentiis.... Unde omnia inter vos hortamur, ut in accipiendis poenitentiis non ad illos curratis, in quibus nec religioſa vita, nec eſt conſulendi ſcientia, qui animas hominum magis ad interitum, quam ad ſalutem ducunt, teſte veritate, quae dicit: ſi caecus caecum ducat, ambo in foveam cadunt: Sed ad eos, qui religione, SCRIPTURARUM doctrina inſtructi viam veritatis, & ſalutis vobis oſtendere valeant.*

S. Gregorius VII. *lib.* 7. *epiſt.*10. *Ex imperitia, & negligentia Sacerdotum, quaſi ex peſtifera radice innumera mala exorta ſunt: adeo ut uſque ad haec noſtra tempora, inter cetera,*

Digitized by Google

ra, quae male pullulant vitia, falſae nihilominus poenitentiae conſuetudo invaluerit.

Concilium Lateranenſe II. can. 21. *Inter cetera unum eſt, quod ſanctam maxime perturbat Eccleſiam, falſa videlicet poenitentia. Confratres noſtros, & Presbyteros admonemus, ne falſis poenitentiis animas decipi, & in infernum detrahi patiantur.*

Concilium Rothomagenſe: *Nimia facilitate, & frequentia indulgendi omnia graviora crimina Eccleſiaſtica diſciplina enervatur, & ad ea, aut majora perpetranda creſcit hominum audacia.*

XIII. Sed altius, quam antiqui, inſurgunt ultimae aetatis Epiſcopi, Synodi, & Theologi adverſus laxiſmum Caſuiſtarum, & Confeſſariorum. Inter quos, ut plures omittam, s. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 3. poſt 5. Dom. haec ſcribit: *Occurrit in Confeſſione, ſicut in Mercatoribus vendentibus pannos ejuſdem bonitatis, conditionis, & ſolutionis; & unus vendit pannum ſuum pro minori pretio, quam alter: certe ille Mercator habebit majorem concurſum, qui vendit minori pretio, quam qui vendit majori. Ita hodie accidit* (N. B.) *in Confeſſione. Quia Confeſſores, qui dant minores poenitentias, habent majorem concurſum, quam dantes magnas: & ſic fit mercatura de poenitentiis. Et ſic peccatores decipiuntur, & mittuntur* (N. B) *ad inferos: & iſti, qui vadunt ad tales, qui dant minores poenitentias, cauſa evitandi bonos Confeſſores, cauſa non habendi congruas poenitentias, & magnas, non plus contritionis habent, quam DIABOLUS. Quia Confeſſor caecus non facit conſcientiam foeminae de ſuis vanitatibus, nec quaerit, nec examinat de debitis circumſtantiis peccatorum: ſic mergitur in profundo, & ſe mergendo te pariter trahit ad aeternum ſupplicium, niſi per medium juſtitiae tibi conſulat. Nec valet dicere: iſta eſt conſuetudo Patriae, quod foeminae vadant caudatae. Nec enim eſt conſuetudo approbata, ſed corruptela.*

S. Thomas de Villanova *Conc. fer. 6. poſt* 4 *Dom. Quad.* haec inter alia ſcribit: *O Medice, cur foetentem ſolvis? Cur indigno*

Digitized by Google

veniam promittis? ... Duas tibi Dominus claves dedit, unam diſcernendi, alteram judicandi, abſolvendi ſcilicet, & ligandi. Et tu ſine diſcretionis examine neminem ligas, omnes abſolvis? .... Heu heu! ventrem meum doleo. In domo Dei horrendum vidi. Paſtores Domini ſui oves jugulantes: Medicos populi ſui aegrotos occidentes, judices turpibus blandientes, cenſores flagitia palpantes, caecos gregem Domini dirigentes. An non horrendum hoc? Quid Eccleſiam Dei HODIE PERDIT, NISI CONFESSARIORUM, & PASTORUM BLANDIENS ADULATIO, deliniens, demulcenſque aſſentatio? Vae miſeris.... promittentes pacem, quibus non eſt pax, & veniam, quibus aeterna damnatio parata eſt. Vide plura ſupra.

XIV. S. Carolus Borromaeus *in Inſtruct. Confeſs. cap.* 12. clamat. *Vel incuria, vel negligentia, vel alia de cauſa ſaepe accidit, quod abſolutionis beneficium iis impertiatur, qui revera indigni ſunt, ac proinde in iiſdem ſaepe peccatis haerent, cum animarum ſuarum lamentabili ruina.* Et rurſus in *Inſtruct. part.* 2. *cap.* 1. *Summopere cavendum eſt multis Confeſſariis, ne in gravem reprehenſionem inciderint, eorum induſtria, cum de tanto numero confitentium tam exiguam emendationem videmus in iis, qui toties, & tam multis annis hoc Sacramentum frequentarunt.*

S. Franciſci Saleſii lamentationem de laxiſmo Confeſſariorum dedi ſupra. Pauca hic proferam ex ſuis *Conſt. Synodalibus tit.* 1. *cap.* 5. ubi haec habentur. *Sanguis Chriſti prophanationi exponitur, & Presbyteri iteratarum prolapſiorum, & illorum malorum ſe reos conſtituunt, quae ex FALSIS NASCUNTUR ABSOLUTIONIBUS. Quibus perit tum Presbyterorum, tum Poenitentium infinita multitudo.*

XV. Venerabilis Cardinalis Bellarminus, cujus ſupra dedi plura teſtimonia, *Conc.* 8. *Dom.* 4. *Adv.* ita loquitur de Miniſtris poenitentiae ſacramentalis. *Iſti ſua imperitia, & SUPERBIA corrumpunt populos, & eis verae poenitentiae viam praecludunt. Nec enim eſſet TANTA facilitas peccandi, niſi eſſet tanta FACILITAS ABSOLVENDI.* Vide plura *to.* 9. *lib.* 2. *Diſſ.* 1. *cap.* 10.

XVI. Do-

XVI. Doctiſſimus Theologus P. Michael de Elizalde Soc. Jeſu *lib. 6. q. 19. §.1.* haec habet: „ Supra etiam S. Franciſcum Saleſium dedi dicentem ſecundum Ven. Joannem de „ Avila, ex mille vix *unum* reperiri (Confeſſarium) regendis „ animabus idoneum. *Ipſe vero ait, ex decem millibus vix unum* „ *talem reperiri (ibidem q. 20.)*. *Pſeudoprophetarum NA-* „ *TIO, ſemper ſane numeroſior, placentia, unde bene dicere-* „ *tur, locuta eſt*. Prophetae contra triſtia, timoremque „ Dei incutientia denuntiarunt, ex quo diſplicuerunt, & „ paſſi ſunt...... Demonſtrabimus ex adultis non pleroſ- „ que, non plures, ſed *pauciores* ſalvari. Sed ſi *communis* „ *praxis Sacramentum Pœnitentiae adminiſtrandi*, ſuſci- „ piendique eſſet recta, ideſt valida, ex juſtificatis non pau- „ ciores, ſed plures, & plerique omnes ſalvarentur .... Ergo „ communis, & ordinaria praxis *non recta*, *ſed deficiens* „ *eſt &c.* „

XVII. P. Albertus de Albertis Soc. Jeſu perinſignis Theologus *Parad. diſp. 2. cap. 9.* haec inter plurima, quae videre poteris *tom. 9 .lib 2. Diſs.* 1. c. 10 §. 4 ſcribit: „ Adeſte Cofeſſarii inclyti, adeſte Concionatores fervidi, adeſte ſolliciti „ animarum Paſtores: adeſte infulata capita, Antiſtites, & „ Religioſi, Praeſides, atque Eccleſiaſtici univerſi. Vos „ ergo conteſtor omnes, vos, quos Dei amor urit, proxi- „ morumque ab aeterno interitu retrahendorum cura ſaltem „ aliqua vos tangit. Vos, qui *faſcinio ſoporati*, *veteri cor-* „ *ruptelae* nudati foeminei pectoris nullum hactenus bellum „ intuliſtis &c. Non pauci, qui Moralium quaeſtionum *arbi-* „ *tros* ſe conſtituunt, atque inter Theologos irrepere, & cen- „ ſeri cupiunt, ſaepe numero, *quamvis divinarum littera-* „ *rum, priſcorumque Patrum* ſententia perſpicua in contro- „ verſia aliqua ex adverſo obluctetur, nihilominus, ut *ex* „ *neſcio quibus ſuis placitis*, *nullo fundamento etiam innixis* „ *ſerviliter ancillentur*, *ſuaque dogmata*, *quae ſemel imbibe-* „ *runt*, *perfracte tueantur*, vim plane apertam tam ſacris „ codicibus, quam Patrum monumentis inferre, *utroſque*

„ *tor-*

Digitized by Google

,, *torquere*, *eludere*, *inflectere*, *luxare*, *ac traducere minime* ,, *dubitant*. Si quam etiam mundi corruptelam valde uſitatam ,, Scriptura ſacroſancta,& Patres improbant, damnantque; *Si* ,, *omnem operam*, *ſtudiumque*, *quo hominum gratiam aucupen-* ,, *tur*, *ejuſdem corruptelae patrocinio ſuſcipiendo impendunt*: ,, *atque ut impendant*, *eamdem Scripturam*, *& Patres ludibrio*, ,, *quam Religioni habere malunt*, *ne dicam prodere*. Ab his ve- ,, ro ſi quis forte rationes, cur alicui opinioni adhaereant, po- ,, ſtulet, indignantur: Si auctoritatem, rident: ſi doctores, ,, fremunt: ſuum ipſorum judicium pro ratione, pro auctori- ,, tate, pro doctoribus abunde ſufficere arbitrantur..... Pu- ,, gnant inter ſe judicia, hinc unius e Patribus ſanctiſſimi, ,, graviſſimique, vel plurium etiam ex eodem ordine: illinc ,, recentioris Auctoris, aut Doctoris, mutuoque in conten- ,, tionem veniunt. Affirmant illi *Diſertiſſime*: Negat iſte ,, *Rotundiſſime*. Tametſi autem novus Auctor ſaepe etiam non ,, optimae notae, ſed *Proletarius*...... nihilominus huic ,, ita inficianti, *indulgentique*, quam Sancto *Patri exerte re-* ,, *clamanti*, aſſeverantique, tribuitur. Quo quid *perverſius* ,, rogo, aut *iniquius* eſſe queat?

,, Quid, quod aliquas morales controverſias ita ſubinde ,, definiunt, ut non tam veritati, quam perſonarum gratiae ,, *venaliter ancillari* videantur...... Non ſolum veritatem ,, ipſam e tenebris minime eruunt, ſed in meridie quoque, ,, licet clare micantem, multa *Politicorum fucorum*, *vulpi-* ,, *norumque reſpectuum caligine* obvolvere, ac de terrarum ,, orbe in cymeria antra detrudere unice ſatagunt..... Haec ,, *carnis prudentia* ipſiſſima eſt, quae in *controverſiis conſcien-* ,, *tiae examinandis*, *in animarum judicio ferendo*, *in foro poli* ,, *gubernando faciem agnoſcit*: haec, quae perſonas hominum ,, intuetur: haec, quae pro *bucella panis veritatem deſerit*: ,, haec illa, quae *multas opiniones verae probabilitatis exper-* ,, *tes* veluti probabiles, ac tutas venditat.... Haec illa, ,, quae vires omnes ſolertiae, eruditionis, induſtriae, ac ſtudii ,, ad opiniones carni, & ſanguini favorabiles invehendas,

,, mu-

Digitized by Google

„ muniendaſque: ad oppoſitas vero animae, ac ſpiritui ſalu-
„ tares convellendas, & labefactandas expromit. *In ſchola*
„ *quippe carnis, prudentia carnis, magiſtra, & Patrona car-*
„ *nis, quid quaeſo niſi carnem doceat* „. In prael: Parad. n. 1.
& ſeq.

„ Non poſſum me hoc loco diutius continere, quin POR-
„ TENTUM INGENS, valdeque noxium intento oſtendam
„ digito... Nam certum quoque eſt, ab hiſce iiſdem mulie-
„ ribus divina Sacramenta objici, nec *tamen a Confeſſariis*
„ communiter ullum ſcrupulum de ejuſmodi ornatu ipſis inji-
„ ci: *ſed eaſdem tam ſecure, tam facile, tam liberaliter* (abſolvi)
„ ſine ulla mentione emendationis, perinde, ac ſi omnia fulmi-
„ na, quae in eumdem ornatum & ſacri Doctores paſſim, & ra-
„ tiones ineluctabiles intorquent, *eſſent merae fabulae Aeſopi.*
„ Hoc enim vero piaculum perindignum, perverſumque val-
„ de eſt: in quod ſevere animadvertet Deus, *qui tales Con-*
„ *feſſarios*, & poenitentes ſuo in judicio multo aliter, quam
„ homines, judicabit &c.... O ſi Confeſſarii omnes hanc apo-
„ ſtolicam ſpiritus libertatem imitarentur! O ſi nihil aliud ſin-
„ cere, & pure, quam Deum, & ſalutem animarum quaere-
„ rent! Quam multae reſipiſcerent! Quam multae incremen-
„ ta laſciviae exuerent! Quam multae ſancto Dei timore cor-
„ riperentur! „ *Parad. Mor. diſp.* 1. *cap.* 9. Vide plura *tom.* 9.
Theol. Chriſt.

XVIII. Celebratiſſimus P. Ignatius de Camargo Soc. Jeſu ſanioris doctrinae vindex acerrimus *lib.* 1. *part.* 1. *controv.* 3. *art.* 4. *n.* 3. plurium Confeſſariorum laxitatem ita deplorat.
„ Verumtamen haec omnia, quae ex contraria ſententia *Re-*
„ *centiorum* immediate, ac legitime conſequuntur, *abſurdiſſi-*
„ *ma* plane ſunt apud prudentes omnes, & pios: quod qui-
„ dem evidentius eſt, quam ut a nobis debeat oſtendi. Au-
„ diatur tantum *Bonaventura* in ipſo Prologo ſui Confeſſiona-
„ lis. *Cum ſecundum B. Gregorium ſit ars artium regimen*
„ *animarum, & occultiora ſint vulnera cogitationum, quam vi-*
„ *ſcerum: HORRENDUM profecto eſt videre quoſdam Sa-*

cer-

„ *cerdotes noſtri temporis, qui ſacram Scripturam, in qua prae-*
„ *fati regiminis ars ſufficientiſſima traditur, & jura canonica,*
„ *& ſcripta Doctorum, in quibus pleniſſime declaratur, vel*
„ *per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam neſciunt.*
„ *Et tamen cordis medicos in audiendis Confeſſionibus ſe profite-*
„ *ri impudenter non metuunt &c.* Idipſum quoque confirmat,
„ & urget D. Thomas, eodem adducto etiam medicorum exem-
„ plo. Vide, precor, an poſtulet laborem, & ſtudium munus
„ hoc regendi conſcientias. Vae noſtri temporis Confeſſariis
„ innumeris! Vae poenitentibus ad ipſos accedentibus, niſi
„ hi ſummi Eccleſiæ Doctores verbis inanibus nos decepe-
„ runt „.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Ipſa quoque humana ratio oſtendit, Chriſtianos monita longe diverſa ab iis, quae exhibet Author Diſſertationis, eſſe docendos.

QUi magno ſtudio, & monitis ad ea comparat auditores, ad quae non inſtituti, ſed nati, non imbuti, ſed facti ab ipſa natura videantur: Contra vero nihil affert opis, nihil conſilii ad ea, quae natura refugit, ſuſcipienda; eſſe arbitror hominis otio, & literis abutentis. Quapropter ſi diſſerendo conſequi poſſum, ut oſtendam, ipſa naturae vi omnes moveri ad indulgentiam, facilitatemque; ab auſteritatis vero, & ſeveritatis nota maxime abhorrere, profecto palam fiet, Authorem *Diſſertationis* longe diverſis, quam par eſſet, monitis inſtruere Lectores ſuos.

II. At nonne inſitus in nobis a natura eſt amor, mundo & hominibus placendi? Serpit intus præſtigiator iſte variis fucis, & larvis tectus, & ſaepe ſaepius malum bonum, & bonum malum inſidioſiſſime repreheſentat. Homines enim generatim ad pompas, luxum, faſtum, ſenſuum oblectamenta, atque delicias, ad dignitates, divitiaſque inflammato ſtudio rapiuntur:

Cru-

Crucis vero, humiliationis, & poenitentiae vultum perhorreſcunt. Attamen cum bene intelligant, arctam & laborioſam eſſe viam ſalutis, voluptuoſam & commodam eſſe perditionis; inquirunt, ſcrutantur, conſulunt, ſiqua inveniri poſſit ratio & praeſentibus ſaeculi frui deliciis, & futuras gloriae non amittendi. Hanc qui rationem inveniſſe, & aliis etiam tradere circumferuntur; honore, plauſu, benevolentia foventur, in amicitias recipiuntur, dignitate, opibus, commodis donantur. Qui vero nec inveniſſe ſe, nec inveniri poſſe ſentiunt, & publice praedicant, nullius nominis, nullius conſilii, nullius ſcientiae homines habentur; adeo ut omnem ſibi ad honores, & dignitates aditum intercluſum, omnem commodorum ſpem ereptam intelligant. Quae putamus nunc, monita oportere in Theologorum, & Confeſſariorum mentes ſpargere, & in univerſum quoque Chriſtianorum orbem diſſeminare? An non inditam nobis a natura rerum, & fortunarum noſtrarum curam experimur; iacturam vero maxime pertimeſcimus? Quid ergo a *Rigoriſmo*, quod jacturam parit, non vero a Laxiſmo, quod curam fovet rerum, & fortunarum, cavendum monet Author Diſſertationis? Quam multi revera ſunt, qui malint cum Confeſſariis, & Caſuiſtis blandiloquentibus foedus inire, quorum partibus augeri poſſint: quam pauci ſunt, qui evangelicae fortitudinis ſpiritu praediti, mundum, & ea, quae mundi ſunt, contemnant!

III. Alterum, quo ad Laxiſmum vehementer impellimur, eſt illud a natura quoque inſitum praevalendi deſiderium, & ſupra ceteros refulgendi; tum cupiditas habendi multitudinem, & quidem ſuperioris ſubſelii, poenitentium, vel ob propriam, vel Familiae noſtrae exiſtimationem, decorem, & famam. Cujuſque enim ſtatus homines, plebej, & nobiles; pauperes, & magnates; duram, & aſperam vivendi conſuetudinem reformidant: atque adeo Doctores, & Confeſſarios blandiloquos, indulgentes, molles, facileſque proſequuntur. Concurſus iſte, & affluentia multitudinis, favor, gratia, ſplendor nos movent, mentem acuunt ad viam evangelicam

dilatandam, amplificandam, deliniendamque. Ideoque niſi Evangelico pectore ſimus inſtructi, continuo labimur, & opiniunculas, atque diſtinctiunculas excogitamus, quibus doctrinam Chriſti deſideriis hominum accommodemus, cum reformare ad legem Chriſti mores hominum non valeamus. Ergo iis opus eſt monitis, quibus flocci faciamus omnem Magnatum, Nobilium, primarum foeminarum frequentiam, potius quam adhibere doctrinas minus veras, minus probabiles, indulgentes, benignas, & pro iiſdem veluti pro aris, focisque pugnare.

IV. Accedit tertiò occulta quadam vi ad Laxitatem impellens amor tenerrimus Patris ſpiritualis in filios, & filias ſpirituales. Jntima enim ſecretorum communicatio dulce amicitiae foedus parit, ut, quemadmodum parentes carnales plus aequo indulgentiores eſſe ſolent erga filios, ſic Confeſſarii, qui ſunt veluti animarum parentes, nimia ſolent indulgentia delinquere.

V. Quarto tandem ad laxitatem veluti efformant rerum Theologicarum ignorantia, & operis, quod agimus, expediendi ſtudium. Siquidem ut graviorum vulnerum corporalium, ita ſpiritualium curatio ſummam exigit peritiam, & tempus. Quapropter ut mitiora, & faciliora remedia, morbis tamen non profutura, imperiti medici applicant, quia neſciunt rariora & validiora, ad quae dignoſcenda magno opus eſt labore, & diligentia: ita cum moralis diſciplina latiſſime pateat, & omnium Theologicorum locorum ſcientiam poſtulet, inde fit, ut plurimi in curandis animarum morbis ea lenitate utantur, quae facili negotio comparatur. Adde quod diligens, diuturnaque curatio taedium affert, ac laborem, & impedit concurſum plurium poenitentium: quoniam ſi uni infirmo curando longam navare operam oportet, aliorum praeſtare curam neceſſitatibus non poſſumus.

VI. Quis igitur ſponte non caveat a Rigoriſmo, quis ad Laxiſmum ſponte non feratur, cum ab illo tot nobis humana incommoda, ab iſto tot nobis commoda proveniant? Qui enim

nimia

Digitized by Google

nimia benignitate peccant, aliquid ſaltem mercedis in hoc mundo accipiunt: ex adverſo, qui nimio delinquunt rigore, & in mundo ludibria, perſecutiones, anguſtias ſuſtinent, & in altero poenas luent. Falſitas quippe ſive in rigore, ſive in benignitate conſiſtat, non evadet juſta ſupplicia. Ergo non niſi ſtulti, & dementes peccare exceſſu ſeveritatis poſſunt. Atque haec quidem omnia ipſi Benigniſtae vel inviti agnoſcunt, & nobiſcum fatentur; cum vaniſſima politica dementati effutiunt, non eſſe contradicendum doctrinis mollioribus, quae omni ſaeculo habuere validiſſimos patronos, vindiceſque formidandos, quorum oppoſitores nunquam in hoc mundi theatro propitiam ſortem experti ſunt.

VII. In quo tamen Benigniſtae errant, & vehementer errant, illud eſt, ut, qui hanc propitiam mundi ſortem minime experiuntur, ſoli Rigoriſtae ſint: cum habeamus, etiam diſcipulorum Chriſti, & Evangelicae doctrinae defenſorum iſtos eſſe characteres, inſignia, & praerogativas. Quam immania bella, perſecutiones, vincula, carceres, mortemque Apoſtoli, & cujuſque aetatis viri ſanctiſſimi paſſi ſunt propter evangelicae moralis defenſionem? *Beati eſtis*, (inquit diſcipulis Chriſtus *Matt.* 5.) *cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in caelis*. Fieri enim nequit, ut criſtianae vitae perfectio, ac ſublimitas propugnetur, oppugneturque vivendi licentia: & magnas ſimul nobis amicitias comparemus, honoribus, & benevolentia afficiamur. *Haec enim eſt*, inquit s. Joannes Chryſoſtomus, *Pſeudoprophetarum nota ſi ab omnibus hominibus benedicantur*. Et s. Lucas cap. 6. inquit: *Vae cum benedixerint vobis homines, ſecundum haec enim faciebant Pſeudoprophetis Patres eorum*.

VIII. Satis igitur exploratum, compertumque eſt, quod, cum tot, ac tantae ſint in laxitatem incidendi, & Rigoriſmum abjiciendi cauſae, Author Diſſertationis monitis abundet minime neceſſariis, & trepidet timore, ubi nullus eſt timor.

Ad experientiam ipſam provoco Adverſarium, & qui Rigoriſmum cum eo inclamant, ut deſignent, ubi nam cubet hoc monſtrum? Numquid in libris? In medium prodeant opera *Merbeſij*, *Morini*, *Genetti*, *Natalis Alexandri*, *Beſombii*, *Pontaſii*, *Antoine*, *Concinae*, aliorumque; qui vocari Rigoriſtae ſolent. Expendant ſeveriore critice opera haec, & duas, aut tres, ſi valent, aequo rigidiores ſententias deſignent. In examen compareant ex altera parte libri *Benigniſtarum*, nempe Caramuelis, Dianae, Leandri, Baſſaei, Zanardi, Manrique, Sancheſii, Tamburini, Burgaberi, Gobatti, Eſcobarii, Caſtropalai, Bonacinae, Lacroixii, Sporerii, Vivae, Francolini, & aliorum plurium Probabiliſtarum; & in his non duas, aut tres, ſed centenas, & millenas ſententias laxas me deſignaturum ſpondeo. *Laxiſmus* itaque reipſa graſſatur, & *Rigoriſmus* purum, putumque commentum eſt, quo tegitur *Laxiſmus*. Nunquid in ore, aut ſermone Rigoriſmus invenitur? Perhibeant vel unicum in univerſa Italia Confeſſarium, qui neget abſolutionem peccatoribus, etiam inveteratis, dummodo ex fructibus, ut Evangelia Chriſti docent, oſtendant contritionem ſuam. Ego ſane pluries aequo indulgentior fui in abſolutione impertienda, & de hac nimia indulgentia ſaepe confeſſus ſum: numquam vero me poenituit abſolutionis negatae, ſeu dilatae: quoniam omnes communiter ad clementiam potius, quam ad ſeveritatem propenſi ſumus. Quid, quod ipſe Martyr s. Cyprianus dolet de nimia ſua indulgentia *lib. de lapſis*, inquiens: *Remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio, & voto colligendae fraternitatis, etiam quae in Deum commiſſa ſunt non pleno judicio. Religionis examine delictis, pluſquam oportet, remittendis pene ipſe delinquo.*

IX. Contra, quam multos Laxiſmi effectus ante oculos habemus. Videmus ſane cujuſque conditionis catholicos pluries in annum ſacra Myſteria frequentantes, & tamen impuro amoris coeno ſe ſe volutantes; faſtui, pompis, Theatricis oblectamentis deditos; modeſtiam, humilitatem, temperantiam, ceteraſque virtutes minime excolentes. Num Mercatores

res a foenore, num artifices a fraudibus, num Advocati a dolis, & cavillationibus abſtinent? Num debitores debita ſolvunt, num divites eleemoſynam tribuunt: num communiter poenitentes cujuſque ſtatus caſtitatem, & juſtitiam ſecuntur poſt innumeras Confeſſiones? Judicent nunc cordati viri, an *Rigoriſmus*, ſeu potius *Laxiſmus* in praxi regnare videatur.

X. At inquiet aliquis: Confeſſarii, & Caſuiſtae, qui benignas, dulceſque opiniones fovent, ac propugnant, qui recidivos conſuetudinarios abſolvunt, docti viri ſunt, probi ſacerdotes ſunt. Immo, ipſe ajo, quo facilius abſolutionem impendunt, eo ſanctiores habentur ab hominibus, & laudibus, ac dignitatibus honorantur. Suſpicari ne ergo liceat, eos velle ſemetipſos perdere, & ceteros prodere? Audi reſponſum s. Auguſtini in expoſ. pſalm. 124. *Venturi ſunt homines, & dicturi tibi; magnus ille vir, magnus ille homo... Vide quia lucet de illis aliqua flamma ſermonis, & aliquis de ipſis ignis accenditur... Cum ergo laudati tibi fuerint iſti montes, & coeperint tibi ſuadere, ut venias ad ipſos & ibi requieſcas; reſponde: In Domino confido, quommodo dicitis animae meae, tranſmigra in montem ſicut paſſer? Bonum eſt tibi, ut evadas ſicut paſser de muſcipula venantium*. Rurſus in expoſ. pſalm. 106. *Docti ſunt, magni ſunt, lapides pretioſi ſunt. Quid adhuc dicturus es? Numquid Angeli ſunt? Et tamen ſi Angelus de Caelo vobis annuntiaverit praeterquam accepiſtis, anathema ſit.*

XI. Si reponat quiſpiam ulterius: magnus, & prope infinitus eſt Benigniſtarum numerus, dicatque, quod ſibi objicit s. Auguſtinus in expoſ. pſalm. 43: *Quam multi hoc faciunt, & quis non facit? Numquid omnes perditurus eſt Deus?* Reſpondebis cum eodem s. Doctore *expoſit. in pſal. 73. O magna tentatio! O magna perſecutio! Non enim ceſſat & modo Serpens inſuſurrare, & dicere: Numquid vere damnaturus eſt Deus tantas turbas? Liberaturus eſt paucos? Quid eſt aliud, quam facere contra praeceptum: non morte moriemini? Sed quommodo TUNC, ſic & NUNC. Si feceris, quod ſuggerit diabolus, & contempſeris, quae praecipit Deus, veniet judicii dies, & invenies verum,*

quod

Digitized by Google

quod minatus eſt Deus, & falſum, quod pollicitus eſt diabolus. Et tandem in *pſal.* 136. concludit. *Multi quaerunt quaſi conſilium ad vitam aeternam. Et tandiu nos laudant, quandiu* (N. B.) *reſpondemus, quid quaerunt. Sed cum inter iſtos obſtrepentes verſamini, obſtringite vos non eis velle placere, ne obliviſcamini Jeruſalem, hic agentes in terra. Si oblitus fuero tui, Jeruſalem, obliviſcatur mei dextera mea.* Audiſti quanti facere debeas blandiloquentium numerum, & conſuetudinem? Audiſti, ut, quemadmodum hiſce inſidiis Serpens ſeduxit parentes noſtros, iiſdem quoque nos modo ſeducere ſatagat? *Quommodo tunc, ſic & nunc.*

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Proponuntur verè utilia, ac neceſſaria Confeſſariis monita pro recto uſu Sacramentalis abſolutionis.

POſtquam ſatis omnia Capita refutavimus noviſſimae Diſſertationis, tempus eſt, ut vere utilia, ac neceſſaria vobis monita ob oculos ponam, qui peccata hominum in terra dimittitis, Miniſtri Dei: ut intelligere poſſitis, quae, & quanta veſtri muneris ratio poſtulet. Fateor, me neque divini Spiritus fervore, neque caeleſtium chariſmatum copia, neque ſuperni luminis, aut humanae eloquentiae efficacia valere, quibus agi tanta res pro dignitate poſſit: enixe tamen rogo, obteſtorque ſanctiſſimum miſericordiarum Patrem, ac Redemptorem noſtrum CHRISTUM JESUM, ex cujus virtute paſſionis ad nos praeſtantiſſima juſtificationis gratia promanavit, ne veſtrae ſaltem mentis judicium regere, vireſque efficaciſſimas voluntati conferre dedignetur, quibus homines perditos ab exitio ad ſalutem revocare valeatis.

II. Principio illud ſtatui, & altius animo Confeſſariorum inhaerere neceſſarium ſentio: paucitatem adultorum fidelium ſalvandorum, ſi cum reprobandis Fidelibus conferantur, tum ex divinis Scripturis, tum ex unanimi ss. Patrum conſenſu aper-

apertiſſime hauriri, & ipſa Fidelium inique viventium experientia confirmari: adeout nemo poſſit ſine erroris nota in dubium revocare iſtam ſententiam. Atque, ut Patres omittam, quoniam id egregie praeſtitit aetate noſtra cl. vir Petrus Franciſcus Fogginius, uno vel altero ſacrorum Bibliorum utar ineluctabili teſtimonio. *Intrate* (inquit Chriſtus Matt. 7. v.13, & 14.) *per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quae ducit ad perditionem, & multi intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quae ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* Et ne hujuſmodi paucitas ad univerſam hominum multitudinem referri poſſet, expreſſius ait Matth. 20. ipſe Chriſtus Jeſus: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Et Luc.13. *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare, & non poterunt*.

III. Quid ex hac tua ſalvandorum fidelium adultorum paucitate deducis? inquiet quiſpiam. Quid? Neſcis quantum boni capi inde poſſit. Ita nos omnes a natura comparati ſumus, ut parum, aut nihil ea mala timeamus quamvis graviſſima, quae ſolent raro, & paucis contingere. Ecquis filiorum exhaeredationem timet a Patre? Quis aedificii ruinam? Quis naufragium in placido mari? Quis mortem pavet ex morbo leviſſimo? Contra vero ſi mortifera infirmitas ſit, quas inciſiones non patimur, quam curam non adhibemus? In mari quoque procellis, ſyrtibus, ventiſque expoſito nullam praetermittimus vigilantiam, nullos labores: propterea quod ex gravis morbi, ex ſaeviſſimae tempeſtatis periculo paucos eripi, ſcimus omnes. Itaque ſummum, & extremum omnium malorum licet ſit aeterna damnatio, quantum putas, eam ad ſe pertinere exiſtimet quiſquam, cui perſuaſum ſit, maximam partem adultorum Fidelium ſalvam fieri, minimam vero aeternum perire?

IV. Ex quo illud conſequitur, quod ſublato ſupplicii metu, tollatur quoque horror peccati neceſſe eſt. Nam cum criminibus plena ſint omnia; libidinoſi, foeneratores, prodigi,

luſo-

Digitized by Google

luſores, molles, perpetuo otio diffluentes; pompis, luxui, deliciis, ambitioni, theatris, gulae dediti; avaritiae inſervientes; dolo malo, fraudibus, monopoliis inhaerentes; Sacrorum irriſores, prophanorum cultores; perjuri, blaſphemi, detractores, ceteriſque vitiorum generibus implicati ubique locorum abundent, & juſtorum longe numerum ſuperent: ſi plures fideles adultos aeternae damnationis poenam daturos ſentiamus, certe non aliam ob cauſam, quam propter ſua ſcelera condemnandos, proindeque ſcelus omne maxime cavendum putabimus, aut ſi forte in aliquod prolapſi ſumus, maximo conatu, & laborioſis operibus tum praeparatoriis, tum ſatisfactoriis delendum curabimus. Contra vero ſi maximam Fidelium adultorum partem caeleſtibus gaudiis fruituram judicemus, cum ex impiorum praeſertim numero iſtam partem conſtare neceſſe ſit, profecto culpam odiſſe, ut par eſt, negligemus, & pravam ceterorum hominum vivendi conſuetudinem minime declinabimus; propterea quod eam plerumque ſequatur aeterna ſalus.

V. Quoniam vero omnibus notum, compertumque eſt, aeternam ſalutem ab iis, qui lapſi ſunt in peccatum, comparari non poſſe ſine Sacramento poenitentiae, idcirco vel ſceleſtiſſimorum, quos ſupra commemoravi, hominum confeſſiones pluries in anno repetitae, licet repetitis relapſibus obnoxiae, haberi ſolent validae, & ſanctae, & ad conſequendum aliquando perſeverantiae donum, beatitudinemque valere, ſi opinio pro ſalvandorum fidelium adultorum copia conſiſtat. Hinc illa paſſim invecta vivendi licentia, & confitendi religio: virorum, foeminarumque promiſcua converſatio, & ſtatis diebus Euchariſtiae ſuſceptio: ludorum, comoediarum, chorearumque frequentia, & ſpiritualibus exercitiis illa vacatio. Quam multos, multaſque videas hodie vultus, inceſſuſque modeſtiam praeſeferentes, cras manuum, oriſque petulantiam jactantes! Hodie dimiſſis, & communibus indutos, cras pretioſis veſtibus exornatos! Hodie ſacrum libellum, cras fabulam poetae manibus geſtantes! Hodie demum humilitatis, & poenitentiae,

cras

eras vanitatis, ſuperbiae, & praevaricationis ſigna protendentes! Quae profecto imagines cum turpes, & perniicioſae ſunt, tum ea opinione foventur, quae docet majorem numerum adultorum fidelium ſalvandorum eſſe, quam damnandorum. Nam qui ſecus ſenſerint, a communi vivendi conſuetudine abhorrent, propterea quod non niſi ex communi vivendi conſuetudine communem oriri perditionem poſſe animadvertunt.

VI. Videtis ergo, ſacri poenitentiae Miniſtri, quanta poſſint bona in Catholicos ex aſſerta ſalvandorum adultorum Fidelium paucitate, quanta e converſo poſſint mala ex multitudine proficiſci. Quapropter, quod principio monui, iterum rogo, atque obteſtor: arctam vitae viam, & anguſtam portam eſſe arbitramini; deinde, ut peccatores ita ſentiant, maxime contendite: hoc enim timore, ac tremore ſalutem ſuam operaturos videbitis. Ideoque ſapienter de more concludit doctiſſimus Jeſuita P. Michael Elizalde lib. 6. qu. 20. §.1. *Haud pietas, ſed crudelitas eſt, fideles hujus tanti periculi non commonefacere, & dicere: Pax pax, ubi non eſt pax: quod moris non prophetarum fuit, ſed pſeudoprophetarum; quemadmodum ſi ego interrogatus de ſecuritate itineris, ubi plures pereunt, tuta omnia pollicerer, vix FER.4 non eſſem.*

VII. Accedentibus itaque ad veſtrum Tribunal peccatoribus (dummodo tamen relapſi poſt plures confeſſiones non ſint) affabilitatem, manſuetudinem, lenitatem, remota prorſus omni vultus, ac ſermonis duritie, debetis oſtendere, ut majori cum fiducia divinam clementiam implorare, auxilium, & veniam petere poſſint. Poſtea excitandi animi ſunt ad pandendum ſecretiora conſcientiae vulnera, ad laethale peccatorum omnium virus evomendum, ad graviſſimae infirmitatis radices, effectus, & circumſtantias fideliter, integreque promendum. Tum vos oportet arguere, obſecrare, increpare in omni patientia & doctrina, ſicut Dei Miniſtros, Judices, Medicos, Doctores. Morbi gravitatem, curationis periculum, gehennae cruciatus promeritos, caelorum amiſſum regnum, & quod potiſſimum eſt, Dei Optimi Maximi offenſam ante ocu-

Digitized by Google

los ponite. Remedia non omnibus omnia, ſed opportuna praebete: omnes tamen, ut bonis operibus dignos fructus faciant poenitentiae, hortamini; de commiſſo, ac forte propitiato peccato, ut nolint eſſe ſine metu: futura ut maxime caveant: ab occaſionibus, periculis, cauſis omnino abhorreant, diligenter admonete. Quae omnia ſi bono animo excipi, ſi non dubia doloris ſigna praeferri, ſi firma non peccandi impoſterum, omneſque ad peccatum impellentes rationes declinandi promiſſa fieri intelligatis: uno verbo, ſi rite diſpoſitos non levi, ſed gravi; non minus probabili, ſed probabiliori ſententia judicetis, congruae ſatisfactionis impoſita poena, abſolutos dimittite.

VIII. At vero ſi Recidivorum, & poſt plures confeſſiones relapſorum, de quibus ſupra ſermonem habui, vos contingat agere cauſam, hoc opus, hic maximus labor eſt. Divinae juſtificationis characterem, & effectus non ex Caſuiſtarum placitis, ſed Scripturae ſanctae, Conciliorum, Eccleſiae Doctorum, Principum Theologorum teſtimoniis, & ex ipſa quoque naturali ratione petitos altius recogitate. Nam quemadmodum pictor exemplar ſibi ad imitandum proponit, cujus egregiam vult imaginem exprimere: ita cum vos elegerit Deus, per quos animae hominum coeno peccatorum foedatae, deturpataeque ad ſuum exemplar reformentur, (*ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*) Divinae legis, & maxime Evangeliorum praeceptis, conſiliiſque intentos habere oculos debetis: ad has veritatis, & ſalutis regulas, non ad Caſuiſtarum ſummas, & medullas exigere judicia veſtra. Vitam quoque, cruciatus, injurias, crucem, mortem CHRISTI JESU ſerio contemplamini, vobis metipſis tacite dicentes: *Quos praedeſtinavit Deus conformes fieri imaginis filii ſui hos & juſtificavit*. At quaenam iſtorum Recidivorum conformitas imaginis Chriſti? Chriſtus peccatum non habuit; quia tamen pro nobis factus eſt peccatum, vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: iſti nec cruciatus aliquot ſuſtinere, nec jejunia ſuſcipere, nec vigilias pati, nec elec-

eleemoſynas facere, nec laborioſis piis operibus vacare ſatagunt propter ſcelera ſua. Chriſtus, quia peccato mortuus eſt, mortuus eſt ſemel: iſti peccato moriendi finem nullum faciunt, quia nullum faciunt finem peccandi, ac tam facile vitam cum morte, quam mortem cum vita peccati commutant. Hos ergo conformes judicemus imaginis Chriſti? Hos juſtificandos? abſit.

IX. Quapropter fortitudinem, & chriſtianam libertatem induite, omnes humanas tum commodorum, tum malorum rationes contemnite, & graviter, charitate conjuncta, hujuſmodi inſtruite in iis, quae neceſſaria ad poenitentiae Sacramentum rite ſuſcipiendum, & conferendum ſunt. Docete, prae ceteris oportere ad poenitentiam adferri ſummum dolorem tranſactae vitae, firmumque bene agendae propoſitum futurae. Quae quidem non adeſſe communiter in Recidivis notum eſt. Et ſi ea ipſi dicant ſe habere, reponite: quodnam ſignum facitis, ut vobis credamus? Nonne quod modo nobis, idem antea ceteris Sacerdotibus ſignum dediſtis? Cur ergo quod fallax prius, verax modo putandum eſt? Dicitis, tentationis vehementia promiſſum illud irritum factum. At ſi promiſſo illo gratiam juſtificationis accepiſtis, magis oportuit tentationem a gratia, quam gratiam a tentatione ſuperari. Nonne vehementiſſimos tentationum ſtimulos ſentiunt tum innocentes, tum vere poenitentes viri; & tamen virtute triumphant divinae gratiae? Cur ergo iſti fortes, vos autem infirmi? Unde tanta effectuum oppoſitio, ſi eadem ſit cauſa? Filioli, nemo vos ſeducat per inanem doctrinam, ſed, quae tradita eſt ab Apoſtolo, praeſertim ad *Corinth.* 1 *cap.* 7. firmiter tenete: *Quae ſecundum Deum triſtitia eſt, poenitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Propterea vos ſtabiles non eſtis, quia non ſecundum Deum, ſed ſecundum nova hominum placentium figmenta eſt triſtitia veſtra.

X. Scimus enim hodie a pleriſque doceri: neque diuturnis precibus, neque jugibus lacrymis, neque congruis jejuniis, aut eleemoſynis, neque aliis laborioſis, ac piis operibus, aut corporis afflictationibus, neque paulatim, & ali-

quo temporis intervallo pro morborum, & vulnerum varietate, gravitateque oportere peccatores, vel Recidivos conſuetudinarios praeparari, ac diſponi ad maximum Dei opus, nempe juſtificationem, in hoc Sacramento comparandum; ſed *ſtatim* abſolvi poſſe, ac toties, quoties peccata confiteantur, dummodo *aliquem conatum* emendationis praeferant, dummodo ex *praeſcripto Confeſſariorum redeant* ad Sacramentum, & his ſimilia praeſtent, aut promittant. Scimus etiam (quod majus profecto malum eſt) attritionem ſervilem ex timore gehennae, aut ſpe proemii conceptum ad juſtificationem ſatis eſſe, eoſdem contendere, & paſſim praedicare. Scimus graviſſima crimina leviſſimis poenis ſolvi, aequas ſatisfactiones tum famae, tum corporis, tum fortunarum minime imponi, peccandi pericula, & occaſiones non interdici, ſaltem *ſi magno cum incommodo* vitari debeant: praeſervativa denique remedia maxime adverſus conſuetudinem pravam aut nequaquam praeſcribi, aut praeſcriptorum rationem non exigi. Anne haec vobis triſtitia videtur, quae poenitentiam operatur ſecundum Deum? At ſi neque praeparatoria, neque ſatisfactoria illa opera requiruntur ad juſtificationem, quommodo Tridentinum Concilium poenitentiam appellat cum ss. Patribus *laborioſum baptiſmum*? Fortaſſe, qui Scripturarum, Patrum, & Tridentini doctrinam defendunt, rigoriſtas appellabunt, dicentque diſciplinam Eccleſiae mutatam eſſe? Sed exterior licet Eccleſiae diſciplina fuerit immutata, immutatus tamen non eſt ejuſdem ſpiritus interior: qui cum longe abſit a vobis, Recidivi, ideo ecce quommodo cum doctrinis Benigniſtarum veſtrorum volutamini in carne, & ſanguine. Quare cum ſecundum hominum commenta hactenus fuiſſe judicemus triſtitiam veſtram, quommodo nunc eam eſſe ſecundum Deum prudenter judicare poſſimus, oſtendite. Fidem ne vos illis adhibetis, qui pluries fidem fregerunt? Contractus ne initis cum eis, qui dolo, & fraudibus vivere conſueverunt? Ecquis igitur noſtrum eſſet fidelis, & prudens diſpenſator, ſi vobis tanti Sacramenti theſaurum aperiremus? Nonne a Domino dijudicare-

caremur, quaſi diſſipaſſemus bona ſua? Quapropter non tantum veſtri, ſed noſtri etiam miſeremini, cogitantes, aliquando pro vobis reddituros eſſe rationem.

XI. Quid ad haec recidivi reponant, veſtrum eſt, ſacri Poenitentiae Miniſtri, diligenter attendere. Nam ſi aegre ferant, ſi indignentur, ſine abſolutione dimitti: ſi iiſdem peccatis gravatos ſemper ab aliis Sacerdotibus abſolutionem impetraſſe dicant, atque etiam tunc impetraturos certo ſcire: ſi peccandi,& ſaepius relabendi conſuetudinem Sacramento inimicam non eſſe ſentiant, propterea quod Sacramentum *mortuorum* dicatur, & vere *pro mortuis* inſtitutum ſit; quin imo Recidivos maxime oportere, eo participes fieri, quia divinae gratiae vis illos paulatim, ac pedetentim a vitiis abſtrahat, ac tandem aliquando, deferveſcente ipſorum aetate, ac vigente Sacramentorum uſu, perfectam operatura ſit converſionem: Si haec, inquam, reponant; ſuper ipſos flete, & ſuper iſtorum duces, qui talia docuere. Deinde in quanta rerum ignoratione, & ſalutis periculo verſentur, breviter oſtendite, dummodo vos audiant. Paucitatem adultorum fidelium ſalvandorum notam facite, ex qua paucitatem vere poenitentium arguite. Latam perditionis viam, & facilem inferni deſcenſum ſtabilite, ex qua laxam docendi, & abſolvendi pernicioſam facilitatem inferte. Nam, ſi ex quacumque Sacramentorum frequentia ſalus penderet; ſi novum iſtud converſionis, & juſtificationis ſiſtema conſiſteret, omnes, aut longe plures adultorum fidelium ſalvi fierent: nulli aut rari admodum damnarentur, propterea quod cum omni aetate, tum noſtra praecipue, ut gloriantur ipſi Benigniſtae, Sacramentorum uſus communis, & copioſiſſimus. Nec ſane, quia pro mortuis inſtitutum eſt Sacramentum poenitentiae, ideo Recidivis generatim conferendum. Nam pro mortuis inſtitutum eſt, ut reviviſcant: Recidivi autem reviviſcuntne, qui in circuitu confeſſionum, & vitiorum ambulant? Legimus, *de uno peccatore poenitentiam agente majus eſſe gaudium in caelo, quam de nonaginta novem juſtis, qui non indigent poenitentia.* Si ergo quotieſcumque con-

fitentur Recidivi iſti, vera eſſet ipſorum poenitentia, quot, & quanta caelo gaudia perpetuo conferrent! Pro tot autem, ac tantis gaudiis ſibi perpetuo conlatis aut Caelites nollent, Recidivos reſurgere, ne iis gaudiis privarentur (quod aſſerere iniquum eſt); aut certe impetrarent, eos a peccati conſuetudine eripi. Cum ergo non eripiantur, palam fit, illorum poenitentiam hujuſmodi non eſſe, ut eſſe oportet, de qua gaudium ſit in caelo magis, quam de juſtis, qui non indigent poenitentia. Multo minus reviviſcent aliquando, cum ſcilicet deferveſcet illorum aetas, vigente Sacramentorum conſuetudine. Nam cum poſt plurimas Confeſſiones, & Communiones nequaquam revixerint, ſignum eſt evidens, eas Confeſſiones, & Communiones fuiſſe ſacrilegio pollutos. Quis autem dixerit, quanto plura ſacrilegia patrata fuerint, tanto facilius gratiam comparari; dicente Apoſtolo: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit?* Quapropter licet Recidivi iſti aegre ferant, a vobis, Sacerdotes ſapientiſſimi, ſine abſolutione dimitti; licet glorientur ab aliis ſe impetraturos abſolvi: ex ipſis tantum perditio ſit: *Nolite vos ſanctum dare canibus, nolite projicere margaritas ante porcos.*

XII. Si vero genus Recidivorum ſit hujuſmodi, ut ſaltem infirmitatem agnoſcant ſuam, de juſtificatione divina dignius ſentiant, de ſuae periculo ſalutis magis timeant, emendationis ſtudio impenſe vacare promittant, praeteritae vitae conſuetudinis poenitere teſtentur; iſtorum etſi facilior curatio, digna tamen adhuc non eſt abſolutione converſio; ſed experimento opus eſt, an dicta factis ſequantur, & quod verbis dicunt, moribus non contradicant. Quis enim occultos animorum aliorum ſenſus intueri, ac judicium prudens de iis ferre ſine operum externorum argumento poſſit, cum ſcriptum ſit: *Homo judicat ſecundum ea, quae parent, Deus autem intuetur cor?* Parent quidem in Recidivis verba doloris, & emendationis, ſed parent etiam facta iniquitatis. Quis autem dictis facta jure non anteponat; tum maxime, cum illa ſemper fallacia, iſta vera deprehenderit? Factis ergo facta ſunt objicienda,

da, & pravae vitae emendatio ex bonis operibus dijudicanda, juxta monitum Chriſti: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Quare his Recidivis oportet aliquod temporis ſpatium pro diverſitate rerum, ac perſonarum decerni, quo omnia, quae jubentur, implere teneantur; & ſi ea praeſtitiſſe inventi fuerint, rite diſpoſiti ad Sacramentum ſuſcipiendum prudenter judicentur.

XIII. Juberi ergo imprimis debent, auxilium a Deo Optimo Maximo enixe, diuque poſtulare, cum ſine eo nihil facere poſſimus, praeſertim eorum, quae noſtras longe excedunt facultates, & vires. Majus quippe opus Dei eſſe, peccatorem juſtificare, quam caelum, terramque creare, ſummi doctores Auguſtinus, & Thomas tradiderunt. Deinde vero, quae ſunt hominis partes explere: occaſiones ſcilicet peccandi toto conatu vitare, cauſas praecidere, pericula declinare, & cetera opera ad ſuſcipiendam juſtificationem neceſſaria exercere praecipiantur. Maxime vero pro peculiarium criminum gravitate peculiaris ſit plagarum modus, & diverſis vulnerum ſpiritualium generibus diverſa remediorum applicentur genera; ratione tamen ſtatus, naturae, & perſonarum ſervata. Puta, ſi in foeda carnis opera, aut deſideria prolapſi fuerint, carnis afflictationem jejuniis, vigiliis, flagellis patiantur: a colloquio, a ludis, a convictu conſortium criminis, quantum fieri poteſt, abhorreant; ſpectacula, theatrum, choreas, pompas, exquiſitum ornatum, ceteraque ad luxuriam moventia penitus abjiciant. Si avaritiae labe ſordeſcant; ad uſuras tollendas, ad reficienda damna proximis illata, ad eleemoſynas largiendas compellantur. Si ambitionis, ſi ſuperbiae, ſi gulae, aut quorumcumque implicentur genere vitiorum; charitatem, humilitatem, patientiam, temperantiam, aliaſque virtutes colere ſtudeant.

XIV. Quid reponi poſſit contra praefata vitiorum remedia non video. An non viſitant iſti ſuas amaſias horis pluribus? cur non infirmos? An non illis pecuniarum ſummam tribuunt? cur non pauperibus? An non corporis ſanitatem

luxu-

luxuria, & crapula extenuant? Cur non jejuniis concupiſcentiam? An non vigilant integris noctibus, ut ornent ſe, ludant, ſaltent, Comoedias audiant? cur non, ut orent, ſacros libros legant, divina meditentur? *Sicut exhibuiſtis*, inquit Apoſtolus ad Rom. 6. *membra veſtra ſervire immunditiae, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiae in ſanctificationem*.

XV. Sed adhuc difficiliorem poenitentiae partem impleri neceſſe eſt. Siquidem ad dolorem criminum praeteritorum, & propoſitum evitandorum futurorum eliciendum totis viribus conari debent, non tantum propter aeterni ſupplicii, ſed propter Dei ſummi offenſae rationem. Nam etſi timor iſte, ut ſupernaturalis, & a Chriſtiano viro fidei luce perfuſo conceptus, utilis ſit, & ſuo modo ad juſtificationem diſponat; ſi tamen illam eminentiorem viam, quam demonſtravit Apoſtolus, poenitentes non ingrediantur, profecto ſpiritualis aedificii fundamenta, & quiddam parietis ponunt, tabernaculum vero dignum minime efficiunt, in quo recipi donum gratiae juſtificantis poſſit. Gratia enim Dei nobis datur per ejus dilectionem, & inhabitantem Spiritum ejus in nobis; Deus autem diligit diligentes ſe, ut teſtatur per Joannem 14. *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Idque etiam univerſi Patres tradunt praeſertim Auguſtinus epiſt. 114. dicens: *Quemadmodum ad peccandum nullus nos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptaſque peccandi, ſic ad juſte vivendum non nos ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio, caritaſque juſtitiae*. Ex defectu hujus amoris illa etiam Chriſtianorum facilitas relabendi in peccata derivatur. Nam cum praecepta legis Evangelicae, ut bene advertit s. Gregorius: *non ſint gravia amanti, non amanti ſint gravia*, fieri nequit profecto, ut diu ſuſtineat tanti oneris gravitatem, propoſitique non peccandi tenax ſit, qui amoris careat optitulantis officio.

XVI. Fateor equidem, nullis aut meritis, aut viribus noſtris ſupernaturales iſtos actus poſſe comparari, donum quippe

Dei

Dei eſt; *ſed facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat*, inquit Apoſtolus, maxime cum peccator petit iis conditionibus, & circumſtantiis, in quibus moveri Deum ex ſua miſericordia ad conferendam gratiam docet S. Thomas; nempe pro ſe petit, pro ſalute aeterna, humiliter, ac perſeveranter. Scriptum eſt enim: *Petite & accipietis, quaerite & invenietis, pulſate & aperietur vobis*. Et lib.3. Reg. cap.8. v.35. *Si orantes poenitentiam egerint, & a peccatis ſuis converſi fuerint propter afflictionem ſuam, exaudi eos in Caelo, & dimitte peccata ſervorum tuorum*. Et rurſus verſ. 47, & 48. *Si peccaverint tibi, & egerint poenitentiam in corde ſuo, & converſi deprecati te fuerint, & reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, & tota anima ſua, & oraverint te; exaudies in Caelo, in firmamento ſolii tui orationes eorum, & propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, qui praevaricati ſunt in te, & dabis miſericordiam*. De his denique dictum eſt Marci 2.17. & Lucae 5.32. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad poenitentiam*.

XVII. Itaque ſi receſſerint conſuetudinarii a via ſua mala, & fecerint haec omnia, & reverſi poſt aliquod tempus fuerint ad vos, poenitentiae Miniſtri, oſtendentes anguſtiam animae ſuae: in ſpiritu lenitatis ſuſcipite, omnem curam, ſtudium, & diligentiam adhibete, ſacras etiam preces addite, ut Deus, qui tantum opus incoepit, ipſe perficiat. Bono illos eſſe animo jubete, fide firma, ſpe robuſta, ardenti caritate accedere; dicentes: ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Hodie ſtolam primam, & annulum, & cetera ornamenta, quae vendidiſtis, redempturi eſtis; hodie dragmam, quam perdidiſtis; inventuri; hodie de ſepulchro Domini voce reſurrecturi, hodie demum paradiſi portas, quae diu clauſae fuerant, eſtis per gratiam ingreſſuri. Et ſane, poſtquam illi, concepto ſcelerum dolore, & emiſſo non peccandi impoſterum propoſito, (quod jam aliquo experimento probaſtis) rite confeſſi fuerint, & abſolutionem, oneraque ſatisfactoria acceperint: ſcitote, quia lucrati eſtis animas fratrum veſtrorum; & vobis metipſis ma-

magna futura eſt merces in caelo. Inveniſtis enim oves, quae perierant; rectamque viam docuiſtis, per quam, qui mortui erant, revixerunt. Gaudete, & exultate quia de his peccatoribus, quos curaſtis, vere dictum eſt Luc. 15: *Quod gaudium eſt in Caelo ſuper uno poenitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent poenitentia.* NON SIC VOS, Benigniſtae, non ſic. *Quod enim infirmum fuit, non conſolidaſtis: & quod aegrotum, non ſanaſtis: quod confractum, non alligaſtis: & quod abjectum, non reduxiſtis: & quod perierat, non quaeſiſtis.* Ezechiel. 34. 4. *Propterea paſtores audite verbum Domini. Dicit Dominus Deus: pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meae in devorationem omnium beſtiarum agri (neque enim quaeſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant): ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum.* Ibidem verſ. 7. & ſeqq.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA *CORRIGE.*

Pag. 7.	lin. 23.	vertetur	verſetur
16.	19.	ſcribit.	ſcribit Author Diſſertationis.
19.	7.	reponit	reponis
19.	18.	Recidivorum?	Recidivorum.
22.	8.	deſinit.	definit.
23.	32.	abulere	abluere
64.	4.	proponunt?	proponunt.
75.	25.	cp. 9.	ex. gr.
130.	10.	ſanatur:	ſanantur:
130.	12.	fieri.	curationes fieri?

Siqua irrepſerint alia, leviora ſunt, & cognitu faciliora.

99 966474

Digitized by Google